CONCILIUM

VIENNENSE

CELEBRATUM

ANNO DOMINI MDCCCLVIII

SANCTISSIMI PATRIS PII PAPAE NONI XIII.

VIENNAE

EX OFFICINA CAESAREA REGIA TYPOGRAPHICA AULAE ET STATUS

MDCCCLVIII.

Conspectus.

Titulus I.

De Fide ac Doctrina Catholica.

Titulus II.

De Hierarchia sacra et Ecclesiae Gubernatione.

Titulus III.

De Sacramentis et Sacramentalibus.

Titulus IV.

De Cultu divino publico et Pietatis Christianae Operibus.

Titulus V.

De Clericorum Vita et Profectu spirituali.

Titulus I.

De Fide ac Doctrina Catholica.

Caput I.

De Fine hominis et Gratia divina.

Discipulus, quem Dominus diligebat, qui et recubuit in coena super pectus ejus, naturae humanae veram summamque dignitatem exposuit dicens: „Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est“ [1]). Animae rationalis ad Dei imaginem creatae natura facultatem involvit, Deum ex creaturis et ipsis conscientiae sui testimoniis cognoscendi atque amore huic cognitioni correspondente diligendi. Est autem Dei cognitio, quae supra omnis naturae creatae vires exaltata est prout coelum supra terram. Deum videre, sicuti est, divinae solum naturae connaturale est; creatura omnis, quantumvis excellens, ad summum istud gloriae ac beatitudinis fastigium elevari nequit sine auxilio gratiae naturae ejus indebito. Conditoris benignitas non tantum Angelos sed etiam homines vocare voluit, ut ipsum in sua essentia videant et amore huic cognitioni correspondente diligant: unde protoparentes nostros gratia supernaturali auctos in sanctitate et justitia constituit, superna revelatione erudivit, pleno in concupiscentiam imperio donavit, corporis immortalitate ornavit. Praevaricatione, qua praevaricati sunt ad lignum scientiae boni et mali, gratiae supernaturalis auxilia sibi posterisque suis perdiderunt et quoad animam et corpus in deterius mutati sunt, ita ut genus humanum ex altissimo prolapsum gradu impar omnino esset eluctando ad finem divina ipsi bonitate constitutum. Attamen mirabiliter

[1]) I. Joan. 3, 2.

conditum mirabilius reformatum est. Misericordiarum Pater, ut salutis nos viam edoceret, multifariam multisque modis locutus est patribus in prophetis; ubi autem venit plenitudo temporis, misit Filium suum Unigenitum, qui veritate umbram fugante Evangelium regni Dei praedicavit et Deo nos reconciliavit in sanguine suo factus nobis justitia, sanctificatio et redemtio. Ad superna rediturus operis sui vicarios constituit Apostolos, quos misit, sicut Pater eum miserat. Antequam testes ipsi essent in Jerusalem et Samaria et usque ad ultimum terrae, acceperunt supervenientem in eos Spiritum Sanctum, qui ipsis suggessit omnia, quaecunque Verbum caro factum eis dixerat, et in omnem eos induxit veritatem. Hoc est depositum fidei ab Apostolis successoribus suis transmissum et continens universa, quae fide firma tenenda sunt in via, ut visione beatifica videri possint in patria. Quamvis autem fides ex auditu sit, ex nobis tamen evangelicae veritatis praedicationem neque, prout expedit, intelligere, neque fideli cordis obsequio amplecti valemus. Nam ea nobis credenda proponuntur, quae, cum ad finem, naturae viribus superiorem, ordinata sint, nativam, insitamque mentis humanae facultatem praetergrediuntur: unde ad salutarem eorum intelligentiam gratia supernaturali quasi alis additis attollamur necesse est. Igitur idem, qui in Apostolos descendit, Spiritus Paraclitus, nobis adest, ut diligenda credere et credita diligere possimus, et prout omnium Conditor Deus vitam nobis subministrat et vivacem potentiam, a quo si desisteret, interituri essemus, ita Creator Spiritus lucem nobis infundit et gratiam, quae si a nobis recederet, in umbra mortis aeternae sederemus.

Caput II.

De recto Rationis humanae in rebus divinis usu.

Revelatio divinitus data et illuminatio Spiritus Saneti rationis humanae usum non exeludit, sed supponit: nam, prout S. Augustinus dieit[1]), credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. Ii, qui lumine eoelesti illustrari possent, non essemus, nisi gauderemus facultate eognoscendi ereaturae spirituali propria et ejus quasi oculo: nnde ratio vere res Dei est, qui nihil sine ratione tractari seu intelligi voluit[2]). Sed quoniam res Dei est, intra limites a Deo decretos eonsistat, ne, cum fortiora se quaerat, sal infatuatum effieiatur. Quum Adae peccato natura humana vitiata quidem, minime tamen extineta sit, etiam in statu naturae lapsae anima immortalis de creatore, cujus imaginem refert, ipsa sibi testis est, et heatitudinis, ad quam creata est, desiderio agitur; invisibilisque Dei virtus nobis per ea, quae facta sunt, quasi eonspieienda exhibetur. Igitur ea Dei et mandatorum ipsius eognitio, quae intra naturae rationalis limites continetur, menti humanae impervia baud est, ita tamen nt revelationis lumine destituta ad eam difficillime neque sine errorum admixtione eluetetur. Homini in nobilitatis ingenitae documentum intimus quidam Dei et absolutae aetnum humanorum regulae sensus alte insidet, sed lumen est nubibus eireumfusum. Non tantum gentes barbarae, sed etiam populi artibus humanis praeclarissimi gloriam ineorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentum mutaverunt, nee ii, quorum ingenium maxime exeellebat, Graecorum philosophi Dei et finis, ad quem bominibus tendendum est, eognitionem intemeratam assecuti sunt, iis potius, quae de rehus divinis recte dixerunt, errores multos et graves immiseuerunt. Imo, quod longe majus, homo veritates ad Deum et vitam aeternam pertinentes, quibus assequendis ratio impar non est, etiam divino ipsi beneficio

[1]) Epist. 120. ad Consent. n. 3.

[2]) Tertull. de poenitent. 1.

patefactas non facile conservat, si fidei auxilia respuat. Unde viri Christiani, qui, postquam fidei naufragium fecissent, ad res divinas humanasque perscrutandas se accingerent, Dei optimi maximi bonorum et malorum retributoris existentiam, immortalitatem animae, voluntatis libertatem aut aperte impugnaverunt, aut vera, quae retinerent, falsorum, quae adderent, consortio deformaverunt.

Quae cum ita sint, qui in rebus divinis ratione recte uti velit, magistram sequatur Ecclesiam, per cujus ministerium Spiritus Sanctus nos instituit. Is idem, qui Apostolis suis sensum Scripturae aperuit, nos quoque eorum, quae ex Dei Verbo scripto et sine scriptis tradito discimus, salutarem intelligentiam habere vult, unde nobis quoque lumen cordium praesto est, cujus beneficio naturae viribus majora ita patescunt, ut simul cognitio naturalis perficiatur, emendetur, confirmetur. Sed prout Deum non potest habere patrem, qui Ecclesiam matrem non habeat, ita non meretur audire Spiritum Dei loquentem in corde suo, qui Ecclesiam magistram respuat.

Fide eloquiis divinis praestita hominis dignitas et libertas non pessumdatur, sed vindicatur. Errare non dignitatis, sed fragilitatis humanae est; ne autem in salutis mysteriis angelicae quoque naturae vires superantibus errore quodam decipiamur, praeservat nos rationabile obsequium Deo docenti exhibitum. Patris omnipotentis, qui libero arbitrio praeditos nos creavit, haec est voluntas, ut libere moveamur in Deum, iis, quae divinitus revelata et promissa sunt, assensum liberum praestantes; et prout nulla, quae bona sunt, agendi, ita nec ulla, quae vera sunt, tenendi nobis infertur necessitas; ineluctabilis autem omnibus singulisque adest necessitas, aut Spiritus Sancti nos illuminaturi gratiae cordis ostia aperiendi, aut aberrandi ab arcta via, quae ad vitam ducit.

Caput III.

De Intellectu fidei quaerendo.

Naturae rationali proprium est desiderare, ut veritatis doctrinam non credendo solum, sed etiam intelligendo apprehendamus [1]); credendorum autem intellectum fides praecedat necesse est. Prout homo visibilia, nisi lumine collustrentur, cernere, nisi cernat, accuratius examinare nequit, ita supernaturalia, nisi lumine fidei clarescant, uti expedit, percipere non potest, nisi, uti expedit, ea percipiat, in ipsis perscrutandis proficere nullatenus valet. Ut autem mysteria regni coelorum, quantum homini corpore mortis circumdato liceat, intelligamus, in caritate radicati et fundati simus oportet. Viri, quibus scientiae theologicae incrementa maxime debentur, ita vixerunt, ut Coelitibus adscribi mererentur; Ecclesia, quos fidei Patres et Doctores celebrat, eos Sanctos et apud Deum Intercessores colit. Homini Christiano, a quo Spiritus Sanctus contristatus discessit, reliquum esse potest donum fidei, quae gratiae sanctificantis defectu informis redditur, sed non tollitur: unde ejusmodi homo de fidei rebus multa optime scire et recte exponere potest. Attamen intimior illa rerum divinarum cognitio, quae dono intellectus continetur, non habetur sine gratia gratum faciente [2]) et sanctam proinde dilectionem operante. Deus, qui caritas est, pro amoris, quo in ipsum ferimur, mensura nobis innotescit. Si velit, ut non in nostram tantum, sed aliorum quoque utilitatem sapiamus, juvabit nos, ut, quae intimo cordis sensu tenemus, verbis congruis enuntiare sufficiamus.

Quamobrem fidei intellectum quaerentes audiamus S. Augustinum, quo major in rerum divinarum scientia post Apostolos vix fuit: „Ora fortiter, ait, ut det tibi Deus intellectum“ [3]). Neque fides deficiat, ubi intellectum proficere non sentiamus, sed animosa, promta, inconcussa teneat cuncta, quae Dei nomine

[1]) S. August. cont. Academ. III. 20.

[2]) S. Thom. Summ. II. 2. qu. 8. art. 8.

[3]) S. August. epist. 222.

Ecclesia credenda nobis proponit; quippe Catholici est, cum ad intellectum pertingere valeat, delectari, cum nequeat, quod capere non possit, venerari [4]). Haec est peregrinantium a Domino conditio, ut videntes per speculum in aenigmate ex parte solum cognoscamus [5]). Haec est fidei nostrae ratio et meritum, ut divinae revelationi attendamus quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec veniente eo, quod perfectum est, dies eluceseat [6]). Omnes homines Deum, in quo sunt et moventur, aliquo modo percipiunt, sed unusquisque intuetur procul; est Deus magnus vincens scientiam nostram [7]).

Caput IV.

De Philosophia Theologiae usibus inservienti.

Quum clementissimus Deus hominibus revelationem humano sermone conceptam impertitus sit, omnia, quae ad sermonem humanum probe intelligendum et efficaciter adhibendum necessaria vel utilia existunt, ad revelationem divinam intelligendam, exponendam et defendendam necessaria vel utilia habentur. S. Augustinus sagacissime monet: „Verbis nisi verba non discimus, imo sonitum, strepitumque verborum“ [1]). Signa sunt, quibus uti non possumus, nisi, quid significent, compertum habeamus; eorum vero significationem assequi non valemus, quin rerum significatarum nobis cognitio aliqua insit, sermonis posthac ope sistenda evolvenda, perficienda. Omnis homo, qui ad sui conscientiam pervenit, ea aliquatenus tenet, quorum cognitionem implicitam ipsa sui conscientia necessario involvit. Prima hac rationis explicatione continentur prima principia, de quibus doctor angelicus asserit, quod ratiocinatio humana ab iis simpliciter intellectis secundum viam inquisitionis vel inventionis procedat, ad eadem rursus in via judicii resolvendo redeat, ad horum

[4]) S. Anselm. epist. II. 41.
[5]) I. Corinth. 13. 9. 12.
[6]) I. Corinth. 13. 10. II. Petr. 1. 19.
[7]) Job. 36. 25. 26.
[1]) S. August. de magistr. c. 11.

ipsorum normam, quae invenerit, examinet[2]). Cognitiones has revelatio, quae ad hominem rationis compotem dirigitur, non exponit, sed supponit. Quapropter mentis humanae operationum et earum, quae simul cum sui conscientia habentur, agnitionum expositio scientifica, in quantum accurata et germana sit, ad doctrinam fidei apertius explanandam non contemnenda praestat auxilia; ad fallacias, quas veritatis osores adhibere solent, refellendas vix non necessaria est.

Arduum est negotium, ea, quae omnis intelligendi actus supponit, ita intellectu apprehendere, ut verbis apposite enarrari queant, intimos animi cognoscentis et volentis motus debita significatione menti quasi objicere, objectos distinguere et explicare. In primis principiis exponendis vel minima a recto aberratio, si in doctrina evolvenda eidem firmiter inhaereatur, ad omnia susque deque vertenda sufficit. Philosophi, qui ea, quorum nemo ignarus est, sermonis ope sistere se in systema redigere primi aggressi sunt, eo devenerunt, ut sagittam volantem moveri negarent et Achillem testudinem, modo eum aliquantulum praecederet, cursu attingere non posse, assevérarent. Alii alia non minus absona protulerunt. Praeterea de rebus humana arte effictis judicare non posset, qui eas conspiciendi et attrectandi facultatem nactus finem, ad quem comparatae essent, nesciret: unde nec multiplices errores abesse poterant, si hominis naturam et officia describenda susciperent, qui finem homini statutum aut ignorarent, aut coeca praesumtione rejicerent.

Cum sancti Patres secundum Apostolum omnia probarent, et, quod bonum esset, tenerent, gentilium philosophos non omnino rejecerunt, sed, quae apud eos recte ac praeclare disputata deprehendebant, in eruditionis ecclesiasticae usum converterunt; praestantissimi autem viri, quibus scholastica Theologiam tradendi ratio originem et incrementa debet, philosophiam diligenter coluerunt et ad fidei intellectum promovendum caussamque agendam magno studio adhibuerunt, ita tamen ut, quaecunque doctrinae Catholicae repug-

[2]) S. Thom. Summ. I. qu. 79. art. 8.

nare sentirent, erroribus humanis accenserent et omnino reprobarent. Quapropter post Clementem Alexandrinum et S. Joannem Damascenum B. Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura philosophiae eas attribuere partes, ut Theologiae ancillam ageret. Quum major et excellentior quam Dei cognitio non habeatur, ei promovendae cuncta, quae studiis humanis erui possunt, justissime impenduntur, summaque humanae scientiae gloria in eo reponitur, quod locum debitum servans Verbo Dei explanando et praejudiciis, quae aditum ei praecludunt, abigendis inservire queat. Quum veritas una sit et Ecclesia in iis, quae fidei depositum attinent, neque falli neque fallere possit, in iis, quae fidei depositum directe vel indirecte attinent, philosophorum placita juxta Ecclesiae doctrinam et mentem reformanda sunt, licet speciosis rationum momentis commendari posse videantur, aut eorum auctores inter artium humanarum magistros clari habeantur. Psychologiam et Ontologiam Ecclesia certe non tradit; si autem cognitiones, quae in omni homine rationis compote merito supponuntur, philosophorum aberrationibus deformari contigerit, nullatenus patitur, ut deformatae ad credendorum sive diligendorum expositionem transferantur, et fidei custos et rectae rationis vindex. Revera haberi mutuam rerum relationem, quam caussae et effectus voces rite intellectae innuunt, non ad fidem sed ad cognitiones spectat, quae fidem praecedant oportet: nam in Deum Creatorem coeli et terrae credere non valeret, cui caussae et effectus notio deesset. Extitit tamen, quem contrarium asseverare non puderet. Cassa viri sophismata Ecclesia contemsit; si autem unquam ita resuscitarentur, ut parvulis in Christo scandalum ponerent, certissime ea indignabunda reprobaret. Aliarum, quas philosophia passa est, lapsionum eadem conditio est.

Caput V.

De Erroribus hujus temporis.

„Necesse est, ut veniant scandala"[1]). Quum natura simus filii irae, deesse non possunt, qui Dominum vocantem audire et in viis ejus ambulare detrectant: in quibus adimpletur verbum: „Impegimus meridie quasi in tenebris"[2]). Igitur ipsis adhuc Apostolis mundum praedicatione sua illustrantibus extiterunt magistri mendacii, qui sectas perditionis introduxerunt[3]), et errorum ferax erat aetas, quam Martyrum candidatus exercitus sanguine, Christianorum semine, condecorabat. Nobis autem permittente Deo, cujus judicia abscondita et viae inscrutabiles, religionis fundamenta et veri rectique principia naturae humanae insita adversus miram errorum pessimorum varietatem defendenda sunt. Variis gradibus eo usque res descendit. Prodierunt, qui auctoritatem Ecclesiae fidei depositum custodientis et interpretantis opinionum humanarum commentis accenserent et credendorum fontem unicum sacras Litteras, arbitrum summum singulorum judicium statuerent. Nequidquam ad Spiritum Sanctum, cujus gratia Verbum divinum adeuntes illuminet, suos remiserunt. Nam inter ipsos rerum novarum signiferos tanta erat in textu sacro explicando discrepantia, ut evidentia, qua major esse non posset, eluceret, Spiritum Dei haud id suscepisse muneris, ut singulos quosque infallibiles redderet: unde sensim sensimque in Spiritus Sancti locum rationem humanam substituerunt. Interea temporis nonnulli eo jam devenerant, ut revelationem supernam et fidei mysteria Dei auctoritate credenda scriptis editis recusarent. Postquam classicum hi ad religionem Christianam oppugnandam cecinissent, apud ipsos Catholicos surrexit, qui rem Christianam se eversurum palam profiteretur. Assensum praebuerunt homines libidinibus irretiti, erubescere nescientes, judicis tamen,

[1]) Matth. 18, 7.
[2]) Isai. 59, 10.
[3]) II. Petr. 2, 1.

qui in nubibus coeli venturus est, memoriam reformidantes. Convenerunt adversus Dominum et Christum ejus et gentibus proclamarunt: Projiciamus a nobis jugum eorum. Tunc post Neronem primo doctrina salutis, quae Agnum Dei tollentem peccata mundi commonstrat, odii generis humani insimulata est: quo furore excuecati dixerunt impii: Non est Deus. Qui habitat in coelis, irrisit eos, locutus est ad ipsos in ira sua et furore suo conturbavit eos. Neque tamen oblitus est misericordiae suae, quam, cum semper exaltatam senserimus super omnia opera ejus, postremis praecipue annis in nobis magnificare dignatus est. Omni enim, quo societas humana continetur, ordine confuso et pessimorum licentia triumphum agente, Dominus Rex omnipotens ex tenebris lucem produxit et aspera in vias planas convertit. Ecclesiae Christi sponsae in grege dominico pascendo libertas multis modis vindicata et aucta est, multorum corda ad eam, quae sursum est, Jerusalem erecta sunt. Nos prae ceteris Domino confiteri decet et annunciare misericordias ejus, ipso enim largiente Concordia inter Sanctam Sedem et Augustissimum Imperatorem sancita est, ut fidei, quae per caritatem operatur, incrementis fundamentum stabile et fortissimum munimen esset, atque Deo redditis, quae Dei sunt, Regis regum protectione populique pietate, quae Caesaris sunt, tuta manerent. Quum autem tanta sint beneficia divina non merentibus collata, magna tamen remanent pericula e multa certamina pro haereditate Domini sustinenda. Errores et deliramenta, quorum praestigiis excitata est perturbationis illius tempestas vix non ingentem operata ruinam, adhuedum confusiones suas tamquam fluctus feri maris despumant, scientiarum et artium studia praejudiciis Deo et Christo ejus infestis commaculant, et cumprimis apud homines, qui animi cultioris laudem ambiunt, late dominantur. Itaque jubente Domino: clama, ne cesses! Synodus haec in nomine Domini congregata suum esse ducit, vocem extollere in errationes et commenta, ubicunque apparuerint, Ecclesiae judiciis et bonorum omnium detestatione damnata.

Caput VI.

De Atheismo.

Quum esse Deum ita perspicuum sit, ut, id qui neget, vix eum sanae mentis existimare liceat, longa effluxit saeculorum series, quin tetra urgeret necessitas, de informi Atheismi monstro, quod et paganis execrationi erat, homines christianos commonendi. Nostri nequaquam in tantum lapsi sunt profundum malorum, ut athei nomen dedecore careat: quo efficitur, ut eodem aperte gloriari nemo praesumat. Attamen si Dei existentia re ipsa excludatur, inanem aliquam Dei adpellationem adjungere parum prodest, imo multum obest. S. Augustinus ait: „Religio est, quae superioris cujusdam naturae, quam divinam vocant, curam caeremoniamque affert"[1]). Ubi persuasio de existentia entis intelligentis, volentis, hominibus superioris abest, ibi nulla neque latissimo sensu sumta religio adest. Omnis igitur doctrina, quae Dei personalis existentiam directe seu indirecte impugnat, ima religionis fundamenta adoritur. Quodsi talium assertores nonnulla, quae religionis esse videantur, hinc inde immisceant, aut verba ad simplices deludendos componunt, aut etiam necessitate quadam creaturae spirituali innata aguntur. Recognoscere nolunt, quem ignorare non possunt:[2]) unde fieri nequit, ut sibi ipsi constantes inveniantur. Praeterea incredulitatis praecones non magis quam solis radios extinguere omnem in hominibus religionis sensum delere valent; si autem pravis molimimibus ita eum apud plerosque conturbaverint et obscuraverint, ut cupidinum licentiam refraenando impar omnino probetur, non tantum rebus civilibus dirum imminet excidium, sed etiam tremendo Dei judicio evenire potest, ut candelabrum moveatur de loco suo, pront motum est apud tot Asiae et Africae gentes fidei olim lumine collustratas, Martyrum et Doctorum gloria, Confessorum et Virginum sanctitate decoratas.

[1]) Lib. LXXXIII. quaest. qu. 31.
[2]) Tertull. apolog. II. 17.

Caput VII.

De Materialismo.

In religionem et omnia simul, quae ad humanitatem pertinent, insurgit vesania eorum, qui nihil praeter res sub sensus cadentes existere fingunt. Hi monstroso quodam aberrationum humanarum exemplo cogitationem cogitando negant et cuneta, quibus spiritus humanus sibi aliisque manifestus redditur, inter effectus rejiciunt, qui corporum motibus producuntur. Fuere, qui corpora existere negarent; sed refragabatur unanime sensus intimi testimonium: unde factis propriis, quae eum dictis pugnabant, convicti sunt, eos ipsos de corporum existentia omnino persuasos esse. Eadem est caussa eorum, qui animam existere inficiantur. Attamen absurda curare non solent, qui cogitandi agendive licentiae praetextum vel excusationem quaerunt: ex quo commenta illa vires ad homines movendos repetunt.

Deo, ubi praeter materiam nihil, locus non est. Naturae numinis partes quodammodo assignare, eam piam matrem, sanctam, omnipotentem adpellare, sapientissimas, quibus cuncta regat, leges multis efferre, praestigiae sunt verborum dolose compositae, ut vana quaedam religionis species obtendatur. Haec tropi poëtis remittendi rationem habent aut vocabulorum plus minusve ornatorum inanis sunt sonitus nulla subjecta sententia.

Dei in honorem creata sunt, quaecunque ex nihilo Omnipotentis voluntas produxit, et quo accuratius rerum creatarum naturam perspicimus, eo penitius, quod Deum glorificent, intelligimus. Praeterea Ecclesia Catholica, quae Christi praeceptis edocta misericordiae opera impense commendat, minime improbat, ut necessitatibus hominum institutionibus et inventionibus uberius provideatur. Quapropter labores eorum, qui res corporales perscrutari et in varios vitae humanae usus convertere student, in se spectati nihil, quod laudem non mereatur, habent. Caveant autem, ne, quae de rerum corporalium natura invenerunt vel

invenisse sibi videntur, ad doctrinam salutis calumniandam praepostero molimine convertant. Quod veritati repugnat, verum esse nequit: idcirco Christi fidelis certissime tenet, quaecumque veritati Christianae reapse adversentur, falsa esse, neque curat, quod scientiae laudem habentes quadam specie veri decipiantur. Errores breves esse noscit et judicia virorum, quibus vera et solida scientiae augmenta debentur, antevertit potius, quam evertit.

Caput VIII.

De Pantheismo.

Quum extrema se tangant, qui materialismum et qui pantheismum sequuntur, eamdem fere religioni cladem inferunt. Praeter Deum nihil et quidquid existat, Deum esse; omnia Deum esse et Deum omnia: paucis his malesana illa disciplina absolvitur. Non negandum, similia prolata esse a viris, qui ea tropico potissimum sensu acciperent, aut, cum fallacem sublimis et profundi umbram ita persequerentur, ut religionem funditus eversam nollent, a principiis stabilitis declinare, quam sine Deo esse mallent. Qui autem pantheismum proprio sensu acceptum adstruere non verentur, nihil, quod religionis nomen utcunque mereatur, reliquum faciunt. Quum commenta pantheistica a Baruch Spinoza primum systematis in formam redacta fuissent, inter Christiani quoque nominis viros sectatores habuerunt, quorum miseris lapsionibus patefactum est, quousque philosophia Deum renuens ratione, cui rerum summam deferret, abuti posset. Juxta doctrinam Hegelii, quem laudationes blasphemae Christo Domino aequipararunt, cogitare ac esse unum idemque est. To cogitare substantiale, impersonale, infinitum, inconditionatum, cum sui ipsius objectum redditur, natura, cum ad se ipsam redit, spiritus efficitur. Praeter adumbratae evolutionis processum, qui initio ac fine caret, nihil omnino existit. Quae ut entia individua concipimus, momenta sunt evolutionis τοῦ cogitare impersonalis, infiniti, quod etiam idea absoluta, ratio,

spiritus mundi, Deus adpellatur. Itaque isthaec falsi nominis philosophia, religioni et scientiae inimica, Dei (si rem, non vocis strepitum attendamus) existentiam, animae humanae immortalitatem et voluntatis libertatem inficiatur atque assertioni, quae contradictionem involvit, ut fundamento suo innititur: manifestum enim est, cogitationem cogitantia actum esse et τo cogitare impersonale, ex quo post naturam spiritus emergat, neque existere neque mente concipi posse. Attamen in absurdorum captivitatem intellectum redegerunt homines scientiae caussam magnis clamoribus agentes. Servitutis mercedem habuerunt, ut sibi quomodocunque persuaderent, post caducam hanc vitam homini nihil spei vel timoris superesse ac judicii universalis locum historiam universalem tenere.

Caput IX.

De Deismo.

Deismus Deum sine Christo habiturus non excellentiae, sed licentiae humanae documentum est. Viri, qui rationis cultum professi Dei et immortalitatis fidem multis extulerunt et religionis rationalis fundamentum proclamaverunt, ad Dei cognitionem haud naturae viribus eluctati sunt, sed quidquid ex ea retinebant, doctrinae Christianae mutila et disjecta membra erant. Deismus phantasma est, quod incredulitatis viam primi et haesitantes ingressi figuraverunt, ut Deum verbis bene sonantibus praedicantes se de rebellione in Filium quodammodo excusarent. Deistarum si non ingenio, tempore tamen antecessori persuasum erat, Deum ejus rogatu doctrinam, miracula haberi posse negantem, miraculo adprobavisse. Ubicunque Deismus caput extulit, incautos religionis specie demulciens, successerunt brevi, qui ejusdem rationis nomine aut eum exploderent, aut ita interpretarentur, ut inanem vix Dei adpellationem relinquerent.

Homo, ut Deo frueretur, vocatus ita affectus est, ut de divinis Deo minorem auctorem habere nolit. Gentilium superstitio innitebatur persuasioni alicui, deos

quondam se hominibus manifestavisse, sed et nunc oraculis et portentis respondere et pessimae, quibus polluebantur, abominationes optimi pessima corruptio erant; infantes suos Moloch non obtulissent, nisi homines paradiso clauso exulantes traditionem de Redemtore venturo comitem habuissent; cujus extrema lineamenta animo idololatriae praestigiis circumvento firmiter inhaeserunt. Vicit leo de tribu Judae et cecidit Babylon magna, nec ultra jam invenietur [1]). Attamen non est in alio aliquo salus, quam in Agno, qui occisus est. Jesu Christi Nazareni nomen retinere non juvat, si quis Verbum, per quod omnia facta sunt, eum esse non confiteatur. Quicunque Filium ad Patris dexteram sedentem negant, ex inimicis sunt, quos scabellum pedum Filii Pater ponet, et nescientes forsan quid faciant, cooperantur iis, qui populos ad abyssum abominationis idolorum servitute pejoris attrahere conantur.

Caput X.

De Indifferentismo.

Quamquam nihil sit, quod potentissimus et misericors Deus vineae suae facere debuerit et non fecerit, tanta tamen beneficia non prosunt homini, qui oblatis uti nolit. Fides, sine qua nemo Deo placere potest, fundamentum et radix salutis est: unde omnes, quotquot errore vel ignorantia vincibili, cujus proinde culpam sustinent, in haeresi, schismate vel incredulitate detinentur, a gratia divina et spe regni coelorum extorres sunt. Qui duriora haec esse reputet, caveat, ne misericordia major esse velit, quam piissimus Jesus. qui, ut omnes homines salvi fierent, flagellis concidi. spinis coronari, crucis patibulo affigi non dubitavit. Ceterum cum S. Augustino, imo cum Ecclesia Catholica, cujus sensum verbis expressit, dicimus et tenemus: „Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia suae praesumtionis pepererunt, sed a seductis in errorem lapsis parentibus

[1]) Apocalyps. 5. 5; 18. 2. 21.

acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi" [1]).

Ad salutem necessarium non est, ut quis omnia, quae Ecclesia credenda proponit, explicita fide teneat, necessarium autem, ut ne unum quidem eorum caput deliberato et pertinaci animo rejiciat. Deum audit, qui Ecclesiam audit, et inter eloquia divina, quibus in via pacis dirigimur, nullum adinvenire est, quod contemnere licet. Igitur naturam fidei, quam Spiritus Sanctus operatur in cordibus nostris, prorsus ignorant, qui inter fidei articulos essentiales et indifferentes distinguere tentant.

Eo tandem non pauci progressi sunt, ut, quid de Deo quis credat, aut quem ei cultum praestet, parum referre dicerent, modo vitam juxta recti et honesti leges componeret. Hi, ut prima fidei Christianae elementa addiscant seu in mentem revocent, cohortandi sunt. Jesus Christus ideo servi formam accipiens se exinanivit [2]), quia homo neque gratiam in Adam deperditam suis viribus recuperare, nec absque gratia ad Deum de facie ad faciem videndum pervenire poterat. Quamquam opera, quibus Spiritus Sancti auxilia desunt, non omnia ex vitiosa cupiditate procedant et peccata sint, omnia tamen ordinis naturalis sunt et proinde ad finem supernaturalem benignitate divina nobis statutum nullam habent proportionem.

Animi de rebus divinis indifferentis, imo ab eis aversi pessima radix est amor rerum labilium, qui recto ordine inverso justissimus sibi et valde decorus videtur. Intelligentiae principatum ambientes summa formarum, quas induunt, varietate id unum docent et urgent: Bona hujus mundi summo loco ponere, cetera contemnere, si homines impediant, ne rebus temporalibus omnes nervos intendant, jugi ea intolerabilis adinstar abjicere, rationi conforme, dignum et justum esse. Haec postulare saeculi longissime progressi genium, haec decere omnem virum praejudiciis antiquatis majorem. „Vae, qui dicitis malum bonum et bonum malum,

[1]) Epist. 43.
[2]) Ad Philipp. 2, 7.

ponentes tenebras lucem et lucem tenebras" [3]). Ubi de diligendorum regula, de rerum humanarum summa agitur. Omnis recti et pulchri sensus, omnis in bonum verum seu apparens nisus, quaecunque demum in homine pecudum agmen emineant, ex animi ad amorem conformati natura originem ducunt. Ipsa autem amoris ratio infert, ut Summo summus debeatur. Princeps ista spirituum lex, bonisque malisque dispari quidem eventu, pari tamen necessitate imperans: quam si reprobi declinare possent, ignis eis paratus extingueretur. Neque Deum prout naturae auctorem cognoscere, neque gratia Redemtoris ad eum sicuti est videndum elevari possemus, nisi ad Deum supra omnia diligendum creati essemus. Qui in sanctissimam legem per ipsam naturam rationalem dictatam et divina revelatione jam inde a Moysis tempore explicite promulgatam insultare decorum reputant, recti conscientiam, quantum humana sinat natura, conturbant et vitiant, viam ad Deum rite cognoscendum sibi praecludunt, a rerum Christianarum intelligentia penitus exulant.

Caput XI.

De Tolerantia.

Christus Dominus, cum pro omnibus hominibus mortuus sit, omnes nos homines caritate fraterna complecti jubet. Itaque ut omnes homines, quae vere bona sint, habeant, ex animo desiderare, precibus a Patre misericordiarum petere et quantum nobis concessum sit, opere efficere tenemur. Homo fide ac moribus Catholicus fratribus ab Ecclesia alienis justum se praebet, benignum, misericordem, sed misericordem non tantum ratione corporis, sed et ratione animae immortalis tanto pretio redemtae: quocirca de ipsis ad fidem veram convertendis nihil negligit, quod caritas suadet et prudentia admittit. Haec Catholicorum est tolerantia. Errantibus condolere pietatis, errorem veritati aequiparare impietatis esse sciunt: unde omnem, quae veritati injuriam infert, tolerantiam longe rejiciunt, quomodocunque impiorum sive imperitorum laudibus celebretur.

[3]) Isai. 5, 20.

Caput XII.

De Communismo.

Homo, quem Deus Pater omnipotens praeesse voluit piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae, haec in omnes, qui Domino placent, usus convertendi facultatem habet. Sed et sua ea facere potest, ita ut jure polleat, de iisdem ceteris exclusis hominibus disponendi. Proprietatis hoc jus est, quo concusso societas civilis concutitur, quo everso everteretur: unde Deus morum legem in monte Sinai sanciens ipsam bonorum alienorum concupiscentiam a servorum suorum corde exulare voluit. Christus autem, qui non venit solvere legem, sed adimplere, proprietatis jura confirmans id, quod imperfectionis habent, caritatis proximo debitae perfectione correxit. Quos ab aliorum rebus manus et desideria cohibere jubet, eosdem commonet, bona, quae possideant, ex talentis esse, quibus operari oportet, donec veniat, et in illa die rationem reddendam esse judici, qui ad sinistram rejectis dicet: Quod non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis [1]).

Quum saeculo decimo sexto bona ecclesiastica defectionis a Catholica fide praemia exponerentur, visum est rapinas justi quodam colore honestare. Contenderunt igitur, jure proprietatis in bona ecclesiastica non Ecclesiam, sed civitatem pollere, cujus rectores ea populi usibus merito impendant. Successerunt, qui crederent, eodem plane jure potestatem civilem de privatorum bonis disponere posse, ubi de populi utilitate procuranda agatur. Negarunt demum, singulos salvo aliorum jure proprium quid possidere posse. Omnes homines pari gaudere jure genio suo indulgendi et proinde bonis, quae vitam beatam reddant, utendi; opulentiores praedones esse pauperum spoliis ditatos. Quae populi cujusdam territorio contineantur, communia esse debere et praecipuas potestatis civilis partes esse, singulis labores, quos subeant, et bona, quibus utantur, aequa lance dividere. Si institutiones, quibus societas bonorum communionem professa regi

[1]) Matth. 25, 45.

debeat, singillatim exponere conantur, absurdi facile coarguuntur, nec infrequenter ad aniles confugiunt fabulas. Excusatione tamen et commendatione doctrinae monstrosae assertores non egent, ubi applauditur iis, qui docent: vitae hujus caducae oblectamentis frui summum et unicum generis humani bonum, et ut omnes eo potiantur, societatem civilem institutam esse. Qui ventum seminat, turbinem metit et populus non intelligens vapulabit [2]). Communismi somnia, refragante rerum natura, ad effectum deduci nequeunt, ruinas grandes Deo permittente edere possunt. Hominem a Deo avulsum velle, humanam est nescire naturam; immanem errorem civitatis constituendae normam denuntiare sapientia est, quae non tantum coram Deo stultitia habetur, sed ubi rerum potitur, etiam coram hominibus miserrimo eventu amentiae cito convincitur. „Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades ejus lampades ignis atque flammarum“ [3]). Ut amor, quo Deo similes reddimur, ad Deum elevetur, lex divina et rei natura jubet. Ad ima depressus in passionum impetum convertitur; si coelestium memoria occiderit, pervastat terram, quae suis eum limitibus coërcere praesumit. Quocirca qui populorum saluti temporali et aeternae consulere adamant, magno studio procurent, ut stantes in fide inanibus verbis resistant, ne, cum seducendos se praebeant, filiis diffidentiae annumerentur et ira Dei in eos veniat [4]). Qui autem egenorum miseriis vere condolent, ad pietatis Christianae sensus augendos collaborent: etenim quo perfectius Christus regnat in omnium cordibus, eo magis abundant auxilia pauperibus praestita. Eis, quos flamma caritatis de concupiscentia carnis triumphantis incendit, meum et tuum sanctissimum verbum est, ubi ad aliorum, ast frigidum, ubi ad ipsorum bona refertur. „Non vides, ait S. Chrysostomus, quomodo omnia communia Deus nobis concessit? Nam si pauperes esse permisit, id in divitum gratiam fecit, ut possint per eleemosynam peccata deponere“ [5]).

[2]) Os. 8, 7; 4. 14.
[3]) Cant. Canticor. 8, 6.
[4]) Ephes. 5, 6.
[5]) Homil. LXXVII. in Joann. n. 5.

Hanc bonorum communitatem Deus probat et Filius ejus Unigenitus praedicavit.

In tanto errorum diluvio, ne confundamur, speremus in Domino, qui recordatus est eorum, quibus arcam refugium dedit ed adduxit spiritum super terram et diminutae sunt aquae. Firmiter animo inhaereat, absque virtute Spiritus Sancti nihil nos efficere posse adversus fluctus intumescentes, neque donis Spiritus Sancti dignos esse, qui aliud quid quam Dei honorem quaerant. Ut autem mundi simus a sanguine omnium, non subterfugiamus, quominus omne consilium Dei annuntiemus eis: „Judicia Domini vera, justificata in semetipsa“ [6]).

Caput XIII.

De Immaculata Beatissimae Mariae Virginis Conceptione.

Omnes, qui ubique sunt, fideles nunquam non tenuerunt, Ancillam Domini, quae Dei Genitrix appellatur et est, nulla prorsus peccati macula coinquinatam fuisse: unde Beatissimam Virginem S. Ephraem ab omni sorde et labe peccati alienissimam [1]), S. Ambrosius ab omni integram labe peccati praedicat [2]), et S. Augustinus de Sancta Virgine Maria propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi vult quaestionem [3]). Si autem et Virginem Deiparam ab omni prorsus peccati labe immunem esse et noxam originalem eis, in quos transit, peccati labem inferre, veritate undequaque nititur, justissima inde conclusione deducitur, Mariam a peccato originali praeservatam esse. Neque Pelagianos fugiebat, quod Mariam originis peccato maculatam esse cum fide Ecclesiae Dei matrem ab omni peccati labe vindicante nullatenus consistere possit, et cum praetenderent, juxta doctrinam S. Augustini Mariam ipsam diabolo nascendi conditione transcribi [4]), Catholicae de peccato originali

[6]) Ps. 18. 10.

[1]) Orat. ad sanct. Dei Genitr.

[2]) Serm. XXII. in ps. 118. n. 30.

[3]) De nat. et grat. c. 36. n. 42.

[4]) S. August. opus imperf. contr. Jul. VI. c. 122.

fidei absurdi exceptionem opposuisse crediderunt. Ceterum Catholicorum nemo unquam in dubium vocavit, Mariam peccati contrahendi debito ex conceptionis suae ratione obstrictam fuisse. Redemta et ipsa est, et redemta per Filium, qui solus Salvator et Redemtor noster [5]), sed eo excellentiori modo, quo magis gratiae donis homines Coelitesque eminet. Propter sanguinem Agni, qui ab initio mundi occisus est, praecursor Domini futurus, cum in utero matris esset, daemonis captivitati ereptus, propter eumdem sanguinem Domini Genitrix futura, ne daemon captivam eam haberet, praeservata fuit.

Diem conceptioni Virginis sacrum Orientalis primum Ecclesia perantiquo jam aevo instituit. Ab Occidentalibus postmodum receptus est; inter quos cum pius cultus latius diffunderetur, acres in scholis disputationes excitatae sunt. Doctrinam de Creatoris matre ab omni peccati labe alienissima sancti fidei nostrae Patres et Testes nunquam accuratius explicaverunt, neque tunc vis ejus et sensus Ecclesiae quadam definitione stabilitus erat: unde viri neque eruditionis neque pietatis laude defraudandi aut ancipites haeserunt aut etiam defenderunt, Deiparam ab omni quidem peccati personalis reatu, non tamen ab originis peccato immunem fuisse. Attamen providit, a quo missus Gabriel Mariam gratia plenam salutavit. Doctis litigantibus festum Conceptionis ad totum orbem Catholicum propagatum et pastorum oviumque studiis concurrentibus egregiis ubique documentis patefactum est, quantum ab omni doctrina peccati cujuscunque labem in Maria admittente communis sensus fidelium abhorreret. Sedes Apostolica eorum, qui Beatissimam Virginem ab originali labe ob praevisa Jesu Christi merita praeservatam esse tenerent, patrocinium jam inde ab anno 1476 palam suscepit, festum Conceptionis adprobavit, et sententiam piam eo abundantius favoribus cumulavit, quo clarius Ecclesiae immaculatam conceptionem praedicantis et colentis consensus saeculorum decursu elucesceret. „Si quid universa per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, dis-

[5]) Conc. Trident. Sess. XXV. de invocat. vener. et rel. Sanctor.

putare (divo Augustino teste) intolerantissimae insaniae est" [6]) et legem credendi lex supplicandi statuit. Apud nos certe Deiparae sine labe conceptae cultus perantiqua et domestica res est, diesque ei consecratus ex duobus abhinc saeculis ritu primae classis cum octava praemisso vigiliae jejunio celebratur.

Inde a decimo sexto salutis reparatae saeculo summi Principes, Episcopi, studiorum Universitates a Sede Apostolica frequenter et enixe petierunt, ut Dei Genitricem a peccato originali praeservatam fuisse, solemni decreto confirmaret. Tantae rei perficiendae Pius IX. dira licet tempestate agitatus animum aerumnis invictum admovit; quippe Litteris encyclicis Cajetae die 2. Februarii 1849 datis totius orbis Catholici Episcopos admonuit, vehementer se optare, ut majori, qua fieri possit, celeritate ipsi significent, qua devotione eorum Clerus populusque fidelis erga immaculatae Virginis conceptionem sit animatus et quo desiderio flagret, ut ejusmodi res ab Apostolica Sede decernatur, atque imprimis noscere vel maxime se cupere, quid ipsi Antistites hac de re sentiant, quidque exoptent. Litteris his excitati Archiepiscopi et Episcopi sexcentis plures attestati sunt, se et Clerum populumque eorum immaculatum Virginis conceptum fide pia tenere atque condigna devotione colere, et plerique adjecerunt, admodum sibi in votis esse, ut Sancta Sedes ea de re dogmatica definitione decerneret. Igitur quaestione per tanta tempora, tantisque studiis et curis agitata, Sanctissimus Pater Pius IX. octavo Decembris anni 1854 die conceptui Virginis sacro, astante numerosissimo S. R. E. Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum coetu pronuntiavit et definivit, „doctrinam, quae tenet, Beatissimam Mariam Virginem in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam" [7]).

---

6) S. August. ep. 54. ad Januar. n. 6.
7) Litt. Apost. „Ineffabilis Deus".

Quamvis Sedis Apostolicae definitio in universa provincia Viennensi debito obsequio suscepta, magna diligentia promulgata et summa solemnitate celebrata sit, praesens tamen Concilium in Jesu Christi nomine congregatum aequum non ducit, Virginis, quae Jesum Christum peperit, laudes reticere, et toto cordis gratia plenam salutantis affectu confitetur: Mulieris, quae serpentis caput contrivit, Genitricis, quam beatam dicunt omnes generationes, Reginae, quam Cherubim et Seraphim celebrant, puritatem illibatam, qua major sub Deo esse non potest, prout nulla prorsus ita neque peccati originalis labe coinquinatam esse.

Caput XIV.

De hominis Anima rationali, una, corpus animante.

Quae de anima humana et ejus ad corpus relatione Ecclesia Catholica nunquam non tenuit, S. Cyrillus Alexandrinus, magni ac sancti Athanasii vestigia premens [1]), clare breviterque exposuit, quippe Concilio Ephesino adprobante docuit: Verbum sibi univisse carnem anima rationali animatam [2]). Cyrillum et Patres Ephesinos secutus S. Leo M. in celeberrima ad Flavianum epistola ait: „In ea carne, quam (Verbum) sumsit ex homine et quam spiritus vitae rationalis animavit“ [3]). Eadem pronuntiavit Concilium Constantinopolitanum secundum [4]) et uberius explanavit Constantinopolitanum tertium, cujus auctoritate decretum est, Unigenitum Filium Dei et Deum nostrum carnem „sibi mediante anima rationali et intellectuali compaginasse atque formasse“ [5]). Igitur quum Constantinopoli invenirentur, qui hominem duas habere animas traderent, Concilium oecumenicum VIII. ipsos sequentibus verbis damnavit: „Veteri et novo testamento unam animam, rationalem et intellectivam, habere hominem docente, et omnibus deiloquis Patribus et Magistris Ecclesiae

[1]) V. S. Athanas. contr. Apollin. I. 15. II. 1. 17.

[2]) Concil. Ephes. act. I. ap. Colet. III. c. 869.

[3]) C. 2. cf. serm. 18 de jej. dec. mens. 8. c. 1.

[4]) Can. 4.

[5]) Edict. Constant. Imp. ap. Colet. VII. c. 1126.

eandem opinionem asseverantibus in tantum impietatis quidam malorum inventionibus dantes operam devenerunt, ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare et quibusdam irrationabilibus conatibus per sapientiam, quae stulta facta est, propriam haeresim confirmare praetendant. Itaque haec sancta et universalis Synodus veluti quoddam pessimum zizanium nunc germinantem nequam opinionem evellere festinans ...... talis impietatis inventores et patratores et his similia sentientes magna voce anathematizat[6]).“ Pari modo, quum in Occidente prodirent, qui praeter animam rationalem alteram statuerent, quae forma corporis sit, Concilium Viennense eos haereticis accensendos esse decrevit: „Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati Catholicae inimicam fidei praedicto sacro approbante Concilio reprobamus; definientes, ut cunctis nota sit fidei sincerae veritas ac praecludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam haereticus sit censendus“ [7]). Ad huncce canonem fideles remisit Concilium Lateranense V., cum in pessimos errores, quibus recta de anima hominis doctrina tunc lacessebatur, sententiam ferret[8]). Quocirca novissime Sanctissimus Pater Pius IX. minime passus est, „laedi Catholicam sententiam et doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma“ [9]).

Igitur Synodus haec in Domino congregata Sanctorum vestigiis inhaerens et Ecclesiae praeconium custodiens profitetur, hominem constare ex anima

[6]) Act. X. can. 11. ap. Colet. X c 638, 639. cf. act. graec. ibid. c 877 et breviar. Synod. ibid. c. 932.

[7]) Clement. lib. I. t. I. c. un.

[8]) Sess. VIII. ap. Colet. XIX. c. 842.

[9]) Litt. Apost. ad Eminent. Card. Archiep. Coloniens. 15. Jun. 1857 dat.

rationali, ad Dei imaginem creata, quae est spiraculum vitae, quam inspiravit Dominus in faciem ejus, et ex corpore, quod per animam rationalem animatur et ex ejus consortio, ut vivat, habet. Reprobat omnem doctrinam tres in homine substantias, nempe spiritum, corpus et animam, quae vitae corporalis principium sit, statuentem. Similiter autem rejicit asserta eorum, qui protestantes, se duas tantum in homine substantias agnoscere, ipsi praeter spiritum animam adscribunt, quam unam eandemque cum corpore substantiam dicant, aut corpus, quod substantiam psychicam per se viventem esse praetendant: neque enim duplex in homine cogitandi appetendique subjectum statuere licet, neque salva fide et sana ratione astrui potest, unam eandemque substantiam corpus simul et cogitandi appetendique subjectum esse.

Caput XV.

De Libris prohibitis.

Quum Domino instituente oremus: Et ne nos inducas in tentationem, omnia fugienda sunt, quaecunque in arcta ambulanti via offendiculo esse possint. Vitemus igitur necesse est commercia eorum, qui contra fidem vel bonos mores linguam exacuunt, nisi forsan, ut cum eis agamus, officii nostri ratio exposcat. Homines autem non tantum ore, sed etiam scriptis ad nos loquuntur: igitur pari diligentia caveamus oportet a scriptis, quae fidei seu morum puritatem violant. Quum verbis diffugientibus littera scripta ultimas usque terras diffundi et per omnem saeculorum decursum manere possit, ad tentationis pericula dilatanda multo magis scripta, quam verba valent. Quapropter Ecclesia ex antiquissimis temporibus libros, qui viatori tentationis laqueos tendebant, reprobavit et suos ab eorum lectione prohibuit. Quod cum justissimum et ad fideles custodiendos in via pacis omninò compositum sit, plurimi tamen durum hunc sermonem esse, neque hominem cordatum eum audire posse conclamant. Iis, qui religionis et rei civilis fundamenta

oppugnant, telorum loco libri seu libelli sunt: unde inter sanctissima hominis jura referunt, nullo impediente serpentis antiqui partes subire et homines ad deficiendum a vero et recto sollicitare. Non pauci, cum scriptionibus vitam alant, iniquissimum censent, illecebris, quibus laudatores et emtores augeantur, undique conquirendis modum poni; hominis ad instar, qui licentiam peteret civium domus ad calefaciendum se incendendi. Alii et ii frequentissimi intolerabile ducunt, libro carere, qui utcunque curiositati satisfaciat animoque incitamentorum insatiabili nova quaedam afferat, quippe aut fluctuantes in fide aut eo pacto Christiani sunt, ut molesti nihil Christus petat. Praeterea summa apud nos libros multiplicandi et propagandi facilitas.

Itaque Synodus in Domino congregata parochos et confessarios obtestatur et jubet, ut nihil omittant, quo venenata pocula a suorum labiis removeri possint. Prudenter cavendum, ne animarum pericula augeantur magis quam minuantur [1]), et patienter misericordiae divinae via paranda est, gravissime tamen omnibus nunquam non denuntietur: Si quis scripta quomodocunque publicata, quae ad fidem labefactandam vel prava desideria excitanda comparata sint, absque legitima caussa legat, eum peccatum amare et odio habere animam suam, cui mortis periculum struat; si autem de ejusmodi scriptorum pravitate Sedis Apostolicae vel Episcopi judiciis admonitus ab eorum lectione non abstineat, nullum prorsus excusationi locum superesse.

Qui lucri consequendi ergo libris perversis diffundendis operam navant, videant, an justum sit, fidem et bonos mores quaestui habere et ex animarum morte res domesticas augere, ac timeant judicia praeparata homini, per quem scandalum in mundum venit.

---

[1]) Engel jus can. V. tit. VII. n. 9. 10. Schmalzgrueber V. tit. VII n. 52. 59. Pichler V. tit. VII. n. 7. 8. 10.

Caput XVI.

De Librorum Approbatione.

Nullus quicunque vir ecclesiasticus libros, qui sacram Theologiam, divinas Scripturas, historiam ecclesiasticam, jus canonicum, Theologiam naturalem aut morum disciplinam pertractant, publici juris faciat, antequam ab Antistite dioecesano, vel si ex regularibus fuerit, qui secundum ordinis sui constitutiones Superioribus generalibus penes Apostolicam Sedem residentibus subjecti sunt, a Superioribus suis hac de re licentiam rite obtinuerit.

Missale, Pontificale, Caeremoniale, Rituale, Benedictionale et omnes quoscunque libros liturgicos, praeterea Catechismos et libros precum formas continentes sine permissu Episcopi typis mandare nefas est.

Scriptura sacra vulgatae editionis non imprimatur absque auctoritate Antistitis dioecesani, cui invigilandum est, ut exemplaris Vaticani forma inviolabiliter observetur.

Omnes cujuscunque conditionis Catholici gravissime admonentur, ut libros ex professo de religione tractantes publicare non praesumant, quin eorum edendorum licentiam vel et adprobationem ab Episcopo aut ab ipsa Apostolica Sede acceperint.

Cuncti praeterea sciant, quando in hac provincia ecclesiastica ab Episcopo per seipsum aut Vicarium ejus generalem libri cujusdam publicandi licentiam adepti sint, eam esse facultatis concessae vim eumque sensum, librum ex permittentis judicio nihil habere, quod fidei ac doctrinae Catholicae vel morum disciplinae repugnet, ulteriorem vero ejusdem sive commendationem sive approbationem licentiae titulo haud contineri.

Titulus II.

De Hierarchia sacra et Ecclesiae Gubernatione.

Caput I.

De Pontifice Romano.

Quum prout unus est Christus, una est Ecclesia sponsa ipsius, Dominus noster unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit[1]). Igitur omnibus quidem Apostolis dixit: „Sicut misit me Pater et ego mitto vos“[2]), unum autem Petrum petram constituit, super quam aedificavit Ecclesiam suam, ne portae inferi praevalerent adversus eam[3]); pro uno Petro rogavit, ne deficeret fides ejus; unum Petrum fratres suos confirmare jussit[4]), uni Petro agnos et oves pascendos tradidit[5]). Petrus Apostolorum Princeps et Caput semper in suis successoribus vivit[6]) et per Pontificem Romanum loquitur[7]). Quapropter Dominicis obedientes verbis cum S. Ignatio Martyre, qui secundus post Petrum Antiochenorum Ecclesiam rexit[8]), Ecclesiam Romanam caritatis coetui praesidentem[9]) salutamus et cum S. Irenaeo discipulo S. Polycarpi, qui S. Joannem Apostolum docentem audierat, profitemur, cum hac Ecclesia „propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoe est, omnes, qui sunt undique fideles“[10]). Cum omnibus autem, qui in orbe terrarum sunt, Catholicis tenemus et annuntiamus, quae Concilii Florentini Patres

---

[1]) Cypr. de unit. Eccl. cap. 4.
[2]) Joann. 20, 21.
[3]) Matth. 16, 18.
[4]) Luc. 22, 32.
[5]) Joann. 21, 15—17.
[6]) Concil. Ephes. act. III. ap. Colet. III. c. 1154.
[7]) Concil. Chalcedon. act. II. ap. Colet. IV. c. 1235.
[8]) Euseb. Caesar. hist. eccl. III. 22, 36.
[9]) „προκαθημένη τῆς ἀγάπης“ Ignat. epist. ad Rom.
[10]) Iren. adv. haeres. III. 3. n. 2.

Occidente et Oriente in unum conspirantibus decreverunt: „Definimus Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Apostolorum Principis et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam Domini nostri Jesu Christi plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur"[11]).

Conciliorum oecumenicorum auctoritati Pontifices Romani nihil detraxerunt, sed eam potius commendaverunt unius moris cum S. Gregorio Magno profitente: „Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor"[12]). Cum autem corpus sine capite mutilum sit, Concilium Ecclesiam universalem repraesentans sine successore S. Petri, qui Ecclesiae caput est, nequaquam haberi potest.

Quamvis Pontifex Romanus universae, quae sub coelo est, Christi Ecclesiae moderator et pastor existat[13]), Occidentis tamen Ecclesiis peculiari simul titulo praeest. Quarto jam post Virginis partum saeculo provinciae omnes, quae tunc Italiae, Galliarum et Illyrici praefecturis continebantur, patriarchali ejus juri suberant: unde cum major et melior Illyrici pars imperio orientali adjiceretur, Episcopus Thessalonicensis delegationem accepit jura patriarchalia illis in provinciis Sanctae Sedis nomine exercendi; neque refragabantur Graeci, donec pace ecclesiastica Iconoclastarum haeresi perturbata Illyricum orientale patriarchatui Constantinopolitano usurpatione iniqua adscriberetur. Patriarchatui Romano accessit Germania laboribus apostolicis virorum, qui patriarchali summi Pontificis potestati suberant, ad Christum et vitam perducta; S. Bonifacius, qui in re Christiana per Germaniam propaganda et confirmanda omnibus abundantius labo-

[11]) Conc. Florent. definit. ap. Colet. XVIII c. 526. 527.
[12]) Greg. M. epist. I, 24.
[13]) Theod. Stud. epist. I. 34.

ravit, legatione apostolica fungebatur. Cum itaque Sedi Apostolicae multiplici titulo devincti simus, sanctum nobis est honorem matri, obsequium magistrae omnium Ecclesiarum debitum coram coelo et terra profiteri et Petro in Pio Nono propensissima voluntate persolvere.

Caput II.

De Episcopis.

In Ecclesia gubernanda et pascenda perinde ut Apostolorum Principi Pontifex Romanus, Apostolis Episcopi successerunt, „pro Patribus Apostolis Ecclesiae nati constitutique Principes super terram“ [1]). A Spiritu Sancto positi sunt, ut praesidente per Summum Pontificem Petro regerent Ecclesiam Dei [2]), cujus ratio per temporum et successionum vices ita decurrit, ut super Episcopos constituatur et omnis ejus actus per eosdem praepositos gubernetur [3]). Ecclesia est in Episcopo, et si quis non sit cum Episcopo uni cathedrae Domini voce fundatae [4]) adhaerenti, non est in Ecclesia [5]). Unde militiae clericali adscripti et fideles omnes audiant S. Ignatium Doctorem Apostolis supparem: „Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam spectant [6]). Qui honorat Episcopum, a Deo honoratus est; qui clam Episcopo aliquid agit, diabolo praestat obsequium“ [7]).

Jesus Christus omnem tenens in coelo et in terra potestatem mitisque idem et humilis corde Apostolis et in eorum locum successuris legem statuit, ut, qui major esset, sicut minor, et qui praecessor, sicut ministratur fieret: [8]) unde Jesu Christi in terris Vicarius servi servorum Dei appellatione gloriatur. Jura ex po-

---

[1]) August. in ps. 44. §. 32.
[2]) Act. 20, 28.
[3]) Cypr. ep. 27.
[4]) Cypr. ep. 40.
[5]) Cypr. ep. 69.
[6]) Ign. ad Smyrn. c. 8.
[7]) Ibid. c. 9.
[8]) Luc. 22, 26.

testate ecclesiastica oriunda officii et ejus sanctissimi rationem habent; facultatem enim continent, quae ad serviendum Christo in cohaeredibus ejus necessaria est et non nisi hujus servitii intuitu servis domui praepositis conceditur. Igitur Episcopi, quo major dignitas et auctoritas eis collata existat, eo religiosius teneant, nihil omnium, quae acceperint, alio se accepisse pacto, quam ut Domino ea in fratribus, quos suo sibi sanguine redemit, incessabili æmulatu impendant. Haec summa sit vitae eorum, fratrum curam gerere aliorumque salutem lucrum facere animae suae.

Episcopus sine crimine sit sicut Dei dispensator, benignus, sobrius, continens, justus[9]). Parum tamen se praestitisse putet, si a concupiscentiis hujus saeculi se custodierit. Vita quidem gregis vita est Episcopi munere pro viribus functi, mors autem gregis, si in aliquo ei defuerit, mors Episcopi est. Cum minister sit Ejus, qui animam suam pro ovibus posuit, totum se suis debet. Presso igitur pede sequi conetur vestigia Apostolorum, qui mensae cura diaconis tradita dixerunt: „Nos autem orationi et ministerio verbi instantes erimus"[10]). Verbi divini propagandi et fructus ejus multiplicandi tuendique magnis et parvis, nobilibus et ignobilibus, sapientibus et insipientibus debitor est. Attamen in vanum laborabit, nisi orationi magno studio intendat. Interponat se pro populo suo, sicut Aaron, qui stans inter mortuos et viventes pro populo deprecatus est, et plaga cessavit[11]). Spiritum Creatorem humiliter et constanter exoret, ut ipso sanctam infundente dilectionem desiderio Apostoli desideret, ovibus non tantum Evangelium Dei, sed etiam animam tradere, et grandis amore dicere possit: „Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror?"[12]).

Quum episcopalis muneris gravitas nunquam non vel angelicis humeris tremenda sit, increscit onus pe-

[9]) Tit. 1, 7, 8

[10]) Act. 6, 4.

[11]) Num. 16, 48.

[12]) II. Corinth. 11, 29.

riculis, quibus Dei in terris regnum cingitur; sed et crescat animus in Domino confidentium! „Accingimini et estote filii potentes, quoniam melius est, nos mori in bello, quam videre mala gentis nostrae et sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in coelo, sic fiat“ [13]). Haec, quibus fortissimus Judas armis carnalibus pro civitate Dei dimicaturos confirmavit, optime describunt fervoris simul et patientiae spiritum, in cujus virtute pro coelesti Jerusalem armis spiritualibus decertandum est, his praesertim temporibus, quibus nihil modici exspectemus oportet: etenim Altissimus, qui abyssum intuetur, aut suum in terris regnum magna quadam et insigni victoria clarificabit, aut, quod absit! avertet ad tempus faciem suam et magna judicia judicabit. „Haec autem est victoria, quae vincit mundum, fides nostra“ [14]). Tempore acceptabili, quo Verbum caro factum tranaiit benefaciendo, curationis gratiam implorantibus credendi conditio indicta est et Petrus in virtute verbi, quo venire jussus erat, super aquam ambulans, quamprimum timeret, mergi coepit. Ut igitur digni simus, quorum ministerio haereditas Domini custodiatur ab omnibus inimicis ejus, paremus cor Spiritui Sancto operaturo in nobis fidem generosam, haesitandi nesciam, quae divinum accepit promissum: „Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis“ [15]).

Caput III.

De Metropolita.

S. Leo verbo et opere Magnus scripsit: „Quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio et magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent in singulis pro-

[13]) I. Macchab. 3, 58. 59.
[14]) I. Joan. 5, 4.
[15]) Matth. 17, 19.

vinciis singuli, quorum inter fratres prima haberetur sententia"[1]). Potestas metropolitana, quam Apostolum gentium Timotheo in Asiam proconsularem, Tito in Cretam contulisse vix non certum est, prima juvenescentis Ecclesiae aetate instituta est, ut unitatem sacerdotum in vinculo pacis et vigorem ecclesiasticae disciplinae conservet. Jurisdictionis munia, quae Metropolitae secundum praesentem Ecclesiae disciplinam competunt, Concilii Tridentini sanctionibus definita sunt. Potestatis insignia habet pallium, quo in sacris faciendis per omnem provinciam statis diebus utitur, et crucem archiepiscopalem, quae in omnibus provinciae locis etiam exemtis ante ipsum defertur.

„Frater, qui a fratre juvatur, quasi civitas firma"[2]). Quo graviora sunt tempora, eo magis Metropolita et Coëpiscopi de iis, quae sollicitudinem episcopalem attinent, consilia conferre studeant, ut Dei honorem et gregis commissi salutem junctis per omnia viribus efficacius procurent.

Caput IV.

De Concilio Provinciali.

Ecclesiam Apostolis exemplo praeeuntibus Episcoporum Concilia impensis studiis frequentavisse et pruvexisse, tota antiquitas Christiana abunde testatur. Concilia Provincialia ut fidei custodiendae, unitatis servandae, disciplinae vindicandae efficacissimum medium canones commendant et urgent. Ut quovis saltem triennio haberentur, Patres Tridentini decreverunt. Summi Pontifices nihil, quod ad ea promovenda faceret, neglexerunt. Qui potens est et sanctum nomen ejus, insigni beneficio effecit, ut disparuerint, quaecunque venerandis Episcoporum comprovincialium conventibus obstacula posuerint. Ipse, sine quo nihil facere possumus, Spiritus sui donis nos augeat, ut provinciae hujus Concilia beneplacita sint in conspectu Ejus et ignem incendant, quem in terram mittere venit.

---

1) Epist. 84.

2) Proverb. 18, 19.

Metropolitae est, Concilium Provinciale convocare eidemque praesidere. Ipso legitime praepedito vel sede Metropolitana vacante tam convocandi quam praesidendi jus ad Episcopum suffraganeum antiquiorem spectat, licet inter convocandos habeantur Praesules dignitate eum praecedentes. Episcopi Sedi Apostolicae immediate subjecti tenentur vicinae cujusdam provinciae Concilium una vice pro semper seligere, quo facto in ipso comparendi jus et obligationem habent.

Abbates, qui in populum jurisdictionem quasi episcopalem exercent, adire tenentur Concilium provinciae, intra cujus terminos districtus, ubi populo praesunt, situs est. Ili, nec non Vicarii capitulares Episcopatuum per provinciam vacantium suffragium decisivum ferunt.

Metropolita, antequam pallium acceperit, Concilium Provinciale convocare aut ei praesidere nequit; ad Episcopatum vero designatus, quamprimum confirmationis aut translationis bullam acceperit, Concilium Provinciale, ad quod Episcopatus ei collatus spectat, adire potest et debet suffragium decisivum in eo habiturus.

Episcopi auxiliares, vel Metropolitae vel aliis Concilii Patribus adjuncti, Capitula Metropolitanum et Cathedralia, Ecclesiarum Collegiatarum Praepositi, aut quomodocunque prima earum dignitas adpelletur, nec non Abbates, Praepositi, Priores conventuales atque Superiores provinciales regularium, qui animarum curae operam navant, aut quorum monasteriis domibusve beneficia curata incorporata existunt, ad Concilium Provinciale vocandi sunt et consultativum in eo suffragium exercent. Capitulum Metropolitanum per tres, Cathedralia per duos Procuratores suffragiis absolute majoribus eligendos comparent.

Conventus celebrandi tempus et locus convocationis edicto statuitur.

Legitime vocatus absque caussa legitima, a Metropolita probanda, non absit. Omnes, qui suffragii decisivi jure gaudent, si legitime impediti abfuerint, Procuratores mittere possunt et debent: qui utrum

suffragium decisivum, an consultativum laturi sint, Concilium Provinciale de casu ad casum decernet.

Tam Metropolita quam ceteri Concilii Provincialis Patres curam habebunt, ut secum adducant viros et doctrina et rerum gerendarum experientia claros, quorum consilio in decretis praeparandis utantur.

Aliarum provinciarum Metropolitis vel Episcopis, si Concilio interesse exoptent, sedes honorifica assignetur. Fraterna eorum consilia adhibeantur; suffragium decisivum eis conferri non potest.

In Sessionibus publicis Capitulum Ecclesiae Metropolitanae, vel si Concilium in Cathedrali quadam provinciae Ecclesia celebrari contigerit, Ecclesiae hujus Capitulum capitulariter procedens aderit.

Tam in Sessionibus publicis quam in Congregationibus privatis Episcopi exemti, qui Concilium provinciae respectivae selegerunt, praecedent Antistites comprovinciales, nisi horum aliquis Cardinalitia dignitate praefulgeat. Ceterum Episcopi comprovinciales loca sua secundum consecrationis episcopalis susceptae tempus habebunt. Antistites dioecesanos Episcopi auxiliares sequentur; hos autem Abbates populum habentes, si eorum aliquis adsit, Vicarii capitulares nec non ii Antistitum absentium Procuratores, quibus Concilium vocem decisivam conferendam censuerit. Post ipsos Capitulo Metropolitano seu Cathedrali locus erit. Post Capitulum Abbatibus seu Praepositis populum non habentibus, Episcoporum Procuratoribus suffragium consultativum laturis et Capitulorum Metropolitani et Cathedralium Deputatis sedes assignanda venit. Ceterum de praecedentiis in Synodo Provinciali habendis Concilium omni recursu rescisso pronuntiabit.

Metropolita Concilii Praeses mitram pretiosam gerat; Episcopi mitris auriphrygiatis, quantum fieri possit, uniformibus, Abbates et alii Pontificalium usum habentes simplicibus ex sericeo utantur.

Decreta Concilii Sanctae Sedi proponenda sunt. Ab eadem recognita Metropolita promulget; promulgata per totam provinciam ecclesiasticam legis vim habent. Dubiis de eorumdem sensu obortis consulatur

Antistes dioecesanus, qui rem, si gravius seu difficilius quidpiam habeat, ad Metropolitam deferat. Metropolita Antistitum comprovincialium consiliis adhibitis definitionem edat, ad proximam usque Synodum valituram.

Annis, quibus provinciae Concilium non celebratur, Episcopi praeterquam si magnae difficultates obsistant, ad Metropolitam conveniant, ut de rebus ecclesiasticis facilius et efficacius quam epistolarum ope consilia fraterna conferantur.

Caput V.

De Capitulis Cathedralibus.

In primaeva Ecclesia, cum majoris ponderis caussae permittente temporum conditione Episcoporum consessibus agitarentur, de aliis rebus Episcopus presbyterii consilia adhibere solebat. Ad presbyteri gradum lentis tunc plerumque gradibus et diuturno in inferioribus servitio praestito ascendebatur, in civitatem episcopalem lectissimus quisque adsciscebatur. Presbyterium sede plena Episcopi senatum constituebat, sede vacante dioecesis administrationem gerebat. Episcopi vitae sanctitate conspicui, inter quos S. Augustinus excelluit, magnis egerunt studiis, ut Clericis praesto essent sanctimoniae sectandae adminicula, quae vita religiosa recte utentibus exhibet. Vitae clericalis communitas canonicus vivendi ordo haberi et dici coepit ac ad Clericos communem vitam agentes translatum est Canonicorum nomen, quo antea Clerici omnes Ecclesiae cujusdam canoni seu matriculae adscripti venire solebant. Conciliorum decretis effectum est, ut saeculo nono adolescente in Germania et Gallia vix superesset Ecclesia Cathedralis, cujus Clerus non profiteretur vitam communem juxta Chrodegangi Metensis regulam conformatam. Subeunte temporum vicissitudine vitae communis vinculum dissolutum est, Ecclesiarum Cathedralium Canonici beneficia tenere coeperunt.

Itaque Capitula Cathedralia nostrae aetatis successerunt Canonicorum collegiis ad vitae religiosae

similitudinem compositis, quorum in formam Antistitum mandata et Conciliorum decreta antiqui aevi presbyteria redegerant. Episcopi senatum constituunt, consilio ei et opera in dioecesi gubernanda adsunt. Nonnullis etiam in rebus, de quibus juris statuta et singularum Ecclesiarum consuetudines consulantur oportet, Antistitis est, Capituli aut quorundam ex Capitulo consilia petere. In negotiis, quae ipsum Capitulum attinent, nec non in Ecclesiarum sive beneficiorum unione consensus Capituli accedat necesse est. Altari et cultui divino Canonici inserviunt, divinum officium in Ecclesia Cathedrali alternis choris canunt. Capitulum in corpore procedens primum post Antistitem locum occupat.

Non immerito virorum ecclesiasticorum coetus ceteris eminentior laudibus et obsecrationibus publice Deo offerendis peculiari modo designatus est. Cui in supernis coeli et universae Potestates sanctus, sanctus, sanctus! proclamant, eum in hac lacrimarum valle sancta confitetur Ecclesia, quam Dominus instituit et regit, ut homines mortales ad Angelorum consortia eluctentur. Propterea Spiritus Sanctus omnes, qui aurem habent ad audiendum, commonet, ut nihil quidem agant, quod ad Domini gloriam non collimet, sed oratione fidei eum collaudare et invocare nobilissimum et gravissimum esse censeant. Canonici tamquam publici pro populo deprecatores constituti sunt et hoc munere ita fungantur, ut fidei et devotionis exemplo ceteros confirment et ad precum societatem alliciant. Eandem legem sibi impositam sciant, qui Canonicorum loco partem officii canunt. Nihil praeceps in vocis modulatione, nihil oscitans in corporis habitu deprehendatur; omnia decora sint, gravia et Deo, cui psallunt, digna.

Sede vacante jurisdictio episcopalis ordinaria ad Capitulum transit, eam tamen intra octiduum Vicario capitulari, qui suffragiis absolute majoribus eligendus est, absque limitatione committere tenetur. Si in mora fuerit, Vicarium nominandi jus ad Metropolitam vel Ecclesia metropolitana vacante ad Antistitem suffraga-

neum seniorem devolvitur. Sede vacante fas non est quidpiam innovare vel juribus episcopalibus detrahere aut beneficia liberae collationis episcopalis conferre.

Caput VI.

De Parochis.

Quamvis Episcopus totius gregis ei commissi pastor et doctor existat, augescente tamen fidelium numero et dilatatis dioecesium finibus sensim sensimque receptum et canonibus postmodum sancitum est, ut presbyteris probatae fidei et doctrinae certa pars gregis perpetuo pascenda concrederetur. Parochorum his nomen inditum. Instituto parochiali ubique inducendo Concilium Tridentinum ultimam attulit manum; Episcopis enim mandavit, ut in iis civitatibus ac locis, ubi nullae essent Ecclesiae parochiales, quamprimum fieri curarent, ubi certos fines non haberent, sed earum rectores promiscue petentibus Sacramenta administrarent, populum in certas propriasque parochias distinguerent, et unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignarent[1]).

Parochorum munus eo absolvitur, ut plebis concreditae salutem cultus divini celebratione, Sacramentorum dispensatione, doctrina, exemplo, oratione indefessi procurent. Baptismum, Viaticum, Extremam Unctionem dispensare juris parochialis est; mortis tamen urgente periculo ab aliis sacerdotibus licite administrantur. Parochianorum matrimoniis assistunt ita, ut invalida sint, quae sine eorum vel Episcopi ipsius licentia coram alio sacerdote celebrentur. Eosdem defunctos sepeliunt; si aliud sibi sepulcrum elegerint, stolae tamen funeralis jura percipiunt. Praeterea parochiani admonendi sunt, ut Communionem paschalem a proprio Parocho suscipere non facile omittant. Declarat tamen Synodus, praecepto Communionis paschalis satisfacere fideles, qui eam in alia quam parochiali Ecclesia suscipiant: etenim legem ecclesiasticam sapientissimam certe et ad necessitu-

---

[1]) Sess. 24. de Reform. 13.

dinem inter pastorem et gregem fovendam apprime compositam hac in provincia antiquavit consuetudo diuturna, cui derogare consultum non est.

In Ecclesia parochiali nemini sacra facere aut functiones ecclesiasticas quascunque obire licet, nisi a Parocho vel ipso Episcopo facultatem acceperit. Parochus presbyteros, quos noverit, vel qui idoneis documentis probent, sacerdotes se esse nulla censura irretitos, semel aut iterum ad divina facienda admittere potest, quamvis licentia per dioecesim celebrandi careant. Diutius commoraturos ad Episcopum remittat. Quando sedes episcopalis longe distet, pro facultate intermedio tempore habenda Decanum adeant. Presbyteros ignotos nullisque documentis idoneis instructos Parochus a celebrando omnino arceat.

Parochis confirmatur vel confertur facultas dispensandi cum ruricolis, ut diebus Dominicis et festis audita saltem Missa in agris labores peragere possint, quibus imminente tempestate vere opus est, ne grave rerum suarum damnum patiantur. Vicissim necessitatis caussam avaritiae praetexentes non audiant.

Parochi et omnes, quibus munus parochiale etiam precario titulo concreditum est, cunctis Dominicis festisque diebus Missae Sacrificium pro populo offerre tenentur. Si autem gravi inopia laborent, Episcopus eis permittere potest, ut pro Missa diei Dominici vel festi stipendio, quo infra hebdomadam careant, ipsis oblato Sacrificium pro populo applicandum infra hebdomadam supplere possint. Diem tamen, in quem Sacrificium suis debitum transferunt, publice denuntient.

In cultu divino celebrando normam ab Episcopo praescriptam accurate sequantur, neque sine ejus permissu vel praecepto aliquid addant vel detrahant vel quomodocunque immutent, aut extraordinaria pietatis exercitia instituant.

Inter eos, qui vineam Domini colere et aprum ferum, ne eam depascat, prohibere debent, Parochi insignem locum occupant. Quocirca Concilium hoc in Domino congregatum adjurat Parochos per viscera misericordiae Jesu Christi, ut sponsores facti gregis,

pro quo hostiam se Deo Patri obtulit, impensis studiis allaborent ad quaerendum, quod perierat, consolidandum, quod infirmum, sanandum, quod aegrotum, alligandum, quod confractum est[2]). Baptismo infantes abluere, conciones et puerorum institutiones statis temporibus habere, moribundis extrema Ecclesiae Sacramenta administrare, defunctos sepelire optimum quidem et summe necessarium est; neque tamen Parochus, qui ex ordine haec absolverit, Pastori et Episcopo animarum nostrarum satisfecisse se credat. Animi ad superna conversio a Verbi divini praedicatione exordium saepe ducit, attamen sine Sacramento Poenitentiae non consummatur, iterato ejus usu et pane, quem digne manducantes vitam aeternam habent, confirmatur et perficitur. Homini, qui coelestium immemor vixit, Sacramenta instante jam morte administrata parum prodesse solent. Quamdiu autem aegrotus integra mente existat, tempus infirmitatis tempus propitiationis esse potest: quippe monita salutis facilius admittere solent decumbentes, quam homines negotiis et voluptatibus consuetis turbinis ad instar abrepti. Itaque Parochus oves suas agnoscat, ad Sacramenta digne et frequenter suscipienda parochianos publicis et privatis monitis disponat, eorum confessiones impigerrime audiat, aegrotos paterne invisat, morientibus pie assistat.

Cum omnibus Spiritus Sanctus dicat: „Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor[3]), Parochi etiam vi muneris, quo funguntur, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere tenentur[4]). Paratissimi egenorum inopiam pro redituum conditione sublevent, miseros omnes officiis benigne prosequantur, consolatione reficiant, ad memoriam ponderis gloriae, quam momentaneum hoc et leve tribulationis nostrae operatur, animum jacentem erigant, parochianos ad misericordiae opera frequenter excitent.

---

[2]) Ezech. 34, 4.
[3]) Psalm. 9, 38.
[4]) Conc. Trid. Sess. 23. c. 1. de Reform.

Residentiam religiose servent. Per notabilem diei partem nnnquam domo absint, quin repentinis casibus provisum sit. Ultra biduum sine Decani praescitu et permissu ex parochia non discedant. Ut ultra sex dies abesse liceat, ab Episcopo facultatem scriptis expressam obtineant.

Caput VII.

De Parochiarum Circumscriptione.

Quum ad impossibile nemo teneatur, nulla sane negligentiae culpa obstringuntur Parochus et presbyteri adjutores, qui, etsi munus suum pro virili obeant, propter nimium tamen parochianorum numerum eorum necessitatibus non plene providere possunt. Lugubris autem et miserrima res est, populum Catholicum presbyteris, qui sufficiant, et ecclesiis, quibus capi possit, destitutum jacere sicut oves non habentes pastorem [1]), et ad auxilia ferenda nihil non moliendum. Nequaquam expedit, ut parochia quaedam etiam in majoribus civitatibus constituta ultra decem parochianorum millia contineat. Contra nec juvat, parochias justo minores esse. Multa sunt, quae dissuadent, ne sacerdotes singuli permodicae plebi praepositi per dioecesim dispergantur. „Vae soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se“ [2]). Ecclesia, quam Spiritus sapientiae regit, communem virorum ecclesiasticorum vitam omni tempore commendavit et propagavit. Domestica sacerdotis cum sacerdotibus consuetudo ad arcenda, quae minus decent, et alenda rerum sacrarum studia magnum affert momentum. Normae haec adinstar habeantur, si novae parochiarum circumscriptionis opportunitas adsit.

[1]) Marc. 6, 34.
[2]) Eccl. 4, 10.

Caput VIII.

De Adjutoribus parochialibus.

Parochus nisi infirmitate aut senio impediatur, muneris sui partes per se ipsum implere obligatur. Non sacerdoti parochia, sed parochiae sacerdos quaeritur, et ideo digniori seligendo magna cura impenditur, quia non nihil, sed plurimum refert, a quonam officii parochialis functiones peragantur. Si autem solus non sufficiat, tot sacerdotes ei adjungantur, quot pro parochianorum numero et locorum conditione ad curam animarum rite peragendam requiruntur [1]).

Parochus Cooperatores fratres sacerdotii, filios aetatis et experientiae ratione habeat; consilio regat, exemplo confirmet, juniores ad curae parochialis munia benigna assiduitate informet, bonorum operum, quibus Deum glorificabunt, particeps futurus, si patrem spiritualem eis se exhibuerit. Cooperatoribus decens debetur sustentatio; convictores sint Parochi, qui vitae necessaria benevole eis subministret. Ipsi autem debitum Parocho honorem deferant, debitam subjectionem praestent, ejus apud parochianos reverentiam tueantur et propagent, laboribus suis vineam Domini ita colant, ut rectorem eum constitutum esse nunquam obliviscantur.

Caput IX.

De Decanis.

Quo latius dioecesium limites extenduntur, eo minus Episcopus rebus, quibus secundum beneplacitum Domini ordinandis intendere debet, per se ipsum invigilare satis est. Insignis itaque apud nos cumprimis utilitas Decanorum per dioecesin dispositorum, ut Antistiti oculi et auris loco sint. De omnibus quidem, quae curam animarum et legum ecclesiasticarum observantiam attinent, speculatores instituti sunt; praecipue autem vigilent, ut sacerdotes dignos se praebeant vocatione, qua vocati sunt, et oves Domini summa diligentia pascant. De minoribus rebus fraterne eos admo-

[1]) Conc. Trid. Sess. 21. de Ref. c. 4.

neant; ni morem gerant, ad Episcopum recurrant, cui graviora omni semota mora indicanda sunt. Habentur inanes rumores, quos contemnere decet; fama autem constans et multorum animos movens nunquam parvi pendenda est: si fundata sit, scandalum reprimere, sin minus, innocentem suspicionis invidia liberare, justitia exigit et caritas. Qui, cum muneris sui ratio id postulet, Episcopum de scandalis vel gravi eorum suspicione non admonet, offensae divinae et detrimenti animabus illati complicem se esse sciat.

Decani est, Parochos et parochiarum Rectores cunctos in muneris rite adepti administrationem inducere, ita tamen, ut relate ad regulares parochiae domui religiosae incorporatae administratores lex sive consuetudo dioecesana intacta maneat.

Procurationi omnium bonorum, quae ad parochias vel ecclesias parochiales sive filiales pertinent, Decanus juxta normam eidem praescriptam invigilare tenetur.

Si Parochos seu parochiae Rector gravi morbo decumbat, Decanus eum adeat, de vita periclitantem Sacramentorum praesidio muniat, sive, ut justo tempore muniatur, curam gerat, et opportune eum excitet, ut domui suae disponat, neque de stipendiis Missarum forsan nondum persolutarum et de mercede famulantibus debita providere obliviscatur. Vita functum sepeliat, juribus stolae ad ipsum pertinentibus; nisi regularis parochiae domui religiosae incorporatae administrator fuerit; hujus enim sepeliendi jus ad Superiorem regularem spectat.

Decanus presbyterum aliquem idoneum ad parochiae vacantis administrationem deputet, usque dum Episcopus, ad quem extemplo referendum est, ea de re constituerit.

Decanus Parochis permittere potest, ut ex rationabili caussa et de presbytero, qui eorum vices suppleat, provisione facta a parochia sua per sex ad summum dies absint. Ad Episcopum tamen de licentia concessa referat. Eidem conceditur, ut necessitate urgente presbyteris facultatem Sacramentum Poenitentiae administrandi vel licentiam Missam celebrandi rite obtentam in quindecim dies proroget, nec non,

ut alius dioecesis sacerdoti litteris formatis Antistitis sui munito Missam celebrandi licentiam in quindecim dies tribuat: qui tamen omnes ad Episcopum illico recurrere debent.

Decanus facultatem habet absolvendi in casibus Episcopo reservatis et intra districtus ei demandati limites peragendi benedictiones, in quibus juxta ritus sacri rationem Chrismatis unctio non intervenit.

Caput X.

De Visitatione a Decanis habenda.

Cum in provincia hac, quae a Bavariae ad Hungariae usque limites extenditur, Episcopi visitationem canonicam tempore statuto absolvendo impares omnino existant, Decanis munus demandatum est, parochias districtus eis assignati quotannis visitandi cum in finem, ut de earundem statu ad Antistitem adcurate referre queant.

Decano adventante campanae pulsabuntur, Parochus cum sacerdotibus Cooperatoribus stola et rocchetto ipse, rocchetto ceteri induti eum ad ecclesiae ostium excipient et ad sacristiam deducent, ubi rocchetum stolamque sumet. Decet, ut Missae a Parocho celebrandae intersit. Post Missam vel, si commode ipsi interesse non possit, quamprimum ex sacristia prodierit, SS. Sacramentum a Parocho exponatur, incenset ipsum Decanus et hymno sacro pro more decantato benedictionem det populo. Quo facto diligenter examinet altare primum majus, tabernaculum, ostensorium, ciborium, cetera postmodum altaria, fontem baptismalem, sacrarium, confessionalia, omnemque ecclesiae adparatum. Ad sacristiam se conferens calices, pyxidem, portatilem, casulas, linteamina, et quaecunque cultui divino inserviunt. diligenter inspiciat. Hoc absoluto negotio cum populo pias preces fundente coemeterium adibit. Ibi cum aliis, qui adsunt, presbyteris psalmum: De profundis, recitabit et collectam: Fidelium Deus omnium Conditor, dicet. Postea coemeterium perlustrabit. Si autem coemeterium longius distet, ad ejus inspectionem absque populo tempore,

quod commodius ipsi videbitur, conferre se poterit. E coemeterio redux, vel si ejus visitatio dilata fuerit, statim post sacristiae inspectionem ecclesiae fabricam, quantum fieri possit, attente examinet. His peractis, nisi forsan scholarum inspectio alii cuidam sacerdoti concredita fuerit, scholam adeat, ubi pueri et puellae eorum, quae didicerint, coram eo tentamen faciant, ita ut doctrinae Christianae, quae ad vitam sempiternam ducem se exhibet, primae sint partes. Domum dein parochialem visitet; an reparationibus minoribus debite sit provisum, an majores quaedam requirantur, diligenter investiget et an beneficii bona juxta sanctiones ecclesiasticas administrentur, quantum res sinat, exploret. Denique Parocho, ecclesiae vitricis, et quods patronatus juri subsit, patrono sive ejus mandatario advocatis perquirat de eis, quae ad administrationem bonorum ecclesiae parochialis pertinent. Ceterum omnibus aditu facilis, quaecunque de rebus ecclesiasticis ipsi significentur, patienter audiat et prudenter ponderet; de omni autem visitationis negotio ad Antistitem fideliter referat.

Caput XI.

De Synodo Dioecesana.

Quum inter Episcopum et sacerdotes, quos in Christi grege pascendo adjutores habet, intimus nexus intercedere debeat, ex antiquissimis Ecclesiae temporibus Antistites suae dioecesis Clericos, praesertim in animarum cura laborantes frequenter congregaverunt, ut eos salutaribus monitis instruerent, desideria patefacta paterne exciperent, corrigenda corrigerent, quae pro bona dioecesis administratione necessaria essent, decernerent et promulgarent. Hae sunt origines Synodorum Dioecesanarum, quae ut quotannis habeantur, Patres Tridentini decreverunt. „Est, quemadmodum S. Carolus Borromaeus dixit [1]), generalis quaedam visitatio Synodus; alias enim per annum particulares quasdam ecclesias duntaxat visitamus; hic vero generatim sacer-

[1]) Conc. in Syn. dioec. XI. act. eccl. Mediolan. pars VII. p. 1429.

dotes omnes et clericos ac in ipsis suo etiam modu populos eis commissos."

Ad Synodum Dioecesanam vocandi sunt Ecclesiae Metropolitanae seu Cathedralis Canonici, Ecclesiarum Collegiatarum Praepositi, vel quomodocunque prima earum dignitas adpelletur, nec non Abbates, Praepositi, Priores conventuales atque Superiores provinciales regularium, qui animarum curam agunt, aut quorum monasteriis domibusve beneficia curata incorporata sunt, neque sine legitima excusatione absint. Vocati praeterea adesse tenentur Parochi et omnes sacerdotes in parochiali animarum cura constituti, Rectores quoque ecclesiarum non parochialium, ubi cultus divinus publice celebratur; si autem de morum reformatione vel alia re totum Clerum concernente agendum aut Concilii Pruvincialis decreta publicanda sint, etiam alii sacerdotes dioecesani. Delectus tamen ita habeatur, ut cura animarum detrimentum non capiat, neque ad Synodum vocatorum numerus ultra ducentos facile ascendat.

In provinciae hujus dioecesibus Synodum quotannis habere difficultate non caret. Singulis, quibus non convocatur, annis Decani post absolutam ab omnibus visitationem ab Antistite advocentur, ut cum Capitulo Cathedrali et aliis viris scientia et pietate insignibus congregati de abusibus corrigendis et ordinationibus, quibus animarum salus promoveri possit, ferendis sententiam dicant.

Titulus III.

De Sacramentis et Sacramentalibus.

Caput I.

De Sacramentis in genere.

Deus et Redemtor noster Jesus Christus, ut suorum fidem exerceret, pietatemque aleret, gratiam, quam in ara crucis nobis meruit, per Sacramenta novae legis in nos derivari voluit. Invisibilium, quae Spiritus Sanctus operatur in nobis, visibiles formae sunt[1]), omnisque vera justitia per ea vel incipit vel coepta augetur vel amissa reparatur[2]). Sacramentorum vis non in eo reponitur, ut homines ad pietatis sensus excitent, quibus cordis ostia Domino pulsanti aperiantur, sed gratiam, quam significant, continent atque proinde ex virtute Dei ordinatione eis insita seu ex opere operato conferunt, modo valide administrentur, neque suscipientes operationi Spiritus Sancti impedimenta ponant. Idcirco sacerdotes ad mysteria salutis dispensanda vocati animo alte impressum gerant, qualem et quantam rem pertractent. Ne materiae vel formae aliquid desit, summa diligentia caveant, ceremonias ritusque omnes ritualis dioecesani at normam accurate persolvant, et quamvis attentio virtualis ministri intendentis facere, quod facit Ecclesia, ad Sacramenti valorem satis sit, impense tamen studeant, ut in ipsa administratione actualem attentionem habeant. Verba distincte et articulatim pronuntient; incessus, vultus, corporis motus, vocis modulatio rei sanctissimae, quae agitur, conscientiam exprimat et fideles ad fidem firmam et devotionem intimam excitet. Praeterea pro viribus et rerum adjunctis procurent, ut nitida et

[1]) De consecrat. dist. 2. c. 32 cf. S. August. epist. 168.
[2]) Conc. Trid. Sess. VI. in prooem.

decora sint, quae ad Sacramentorum dispensationem requiruntur. Parochi suos de Sacramentis et praeparatione religiose praemittenda, quoties occasio offeratur, instituant; Verbi divini praedicatores et religionis doctrinam publice vel privatim tradentes cuncti ea de re diligenter agant. Nemo periret, si omnes eo, quo par est, animo Sacramenta susciperent.

Caput II.

De Sacramento Baptismi.

Quum nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram, Baptismi gratia renascimur ex aqua et Spiritu Sancto, ut filii Dei nominemur et simus. Regenerationis Sacramentum ordine et necessitate primum est: unde magna accuratione et reverentia administretur oportet. Verba, quibus forma absolvitur, eo ipso tempore, quo aqua infunditur, distincte proferantur. Pervetusta Ecclesiae sanctione vetitum est, ne obscoena, fabulosa aut ridicula vel inanium deorum vel impiorum hominum nomina baptizandis imponantur. Si nomen decorum quidem, sed quod Sancti alicujus non sit, indi petatur, nomen Coelitis adjiciatur, ut in Christi ovile recepto peculiaris apud Christum deprecator non desit.

Canones jubent, ut Baptismus, cum janua sit ad Christi Ecclesiam, in ecclesia ad fontem baptismalem conferatur, nisi propter infantis infirmitatem aut aliam justam caussam exceptio admittatur. Hoc ubi usu retentum est, sedulo conservetur. Ut infantes parentibus petentibus in privatis domibus baptizentur, iis in locis, ubi ejusmodi consuetudo diuturno usu invaluit, nec facile tolli potest, ad tempus toleretur. Ut autem preces, quibus mulier post partum in ecclesiam introducitur, illico post infantis Baptismum supra matrem lecto decumbentem recitentur, abusus est, qui, si hinc inde vigeat, absque mora tollatur.

Ut aqua naturalis adhibeatur, ad Sacramenti valorem pertinet. Alia uti, quam ea, quae juxta Missalis Romani ordinem solemniter benedicta sit, praeter ne-

cessitatem non licet. Ne quispiam sine salutari remedio de hoc saeculo avocetur, omnis homo, ne infideli quidem excepto, idoneus Baptismi minister est; et parochi curent, ut obstetrices Baptismum rite conferendi rationem optime calleant. Instante mortis periculo a laicis baptizati, si supervixerint, ad ecclesiam deferantur et parochus, quando Sacramentum valide esse collatum prudenter dubitari nequeat, ceremonias omissas supplere satagat; alias et ipsum Baptismum sub conditione iisdem conferat: ratio enim non sinit, ut videatur iteratum, quod non ostenditur gestum, nec temeritas intervenit praesumtionis, ubi est diligentia pietatis.

Infantes expositi, nisi eos rite baptizatos esse plene constet, conditione adhibita baptizentur. Schedulae cuidam appositae, quae infantem baptizatum esse asserat, nihil tribuendum est, nisi forsan liber baptismalis rem ita se habere comprobet. Quando quis ad Ecclesiam redeat ab haeresi, de qua prudenter dubitetur, an in ea Baptismus debita forma, materia et intentione dispensetur, caussa ad Episcopum deferatur.

Quum patrini fidejussores sint baptizandorum, partes eorum sumere non possunt, a quibus prudenter expectari nequit, eos, ubi opus fuerit, acturos, ut filii spirituales, quos ex Baptismi fonte susceperint, in fide Catholica diligenter instituantur. Arceantur igitur a fide seu communione Catholica alieni, sed et publice criminosi seu infames, item qui sana mente non sunt aut fidei rudimenta ignorant. Praeterea Confirmationis Sacramento non muniti, et baptizandi parentes, nec non monachi vel sanctimoniales removeantur. Duo viri duaeve mulieres non admittantur, unum tamen et unam adhibere licet.

Infantum Baptismus ultra biduum a nativitate non differatur.

Caput III.

De Sacramento Confirmationis.

Vita hominis militia est super terram: ideo quotquot per Baptismum regenerati sunt ad vitam aeternam, Spiritu promissionis Sancto signandi et confirmandi sunt ad bonum certamen certandum. Qui, cum ad Confirmationem possint accedere, illam negligunt, gravis peccati reatu tenentur; quamvis enim continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia, quae nostris temporibus eo avidius appetenda sunt, quo frequentiora imminent tentationum pericula. Confirmandos septennium absolvisse ac rationis usum attigisse oportet, nisi in particulari quodam casu Antistiti dioecesano aliter visum fuerit. Ubi frequentior adest Sacramentum suscipiendi occasio, agendum est, ut pueri puellaeque, antequam primam Communionem acceperint, ad Spiritum Sanctum accipiendum absque rationabili caussa non accedant; vicissim ultra decimum quartum aetatis annum Confirmatio non differatur. Ante Pentecosten nec non appropinquante visitatione canonica parochi ipsi vel per sacerdotes adjutores confirmandos erudiant in omnibus, quae ad tanti Sacramenti vim et dignitatem intelligendam faciunt, eosque moneant, ut peccata confiteantur et, nisi forsan ad sacram Synaxin nondum admissi, corpore Domini reficiantur. Alius quoque sacerdos, cui Episcopus facultatem doctrinam religionis tradendi impertitus fuerit, de parochi vel ipsius Episcopi licentia eos instituere potest. Ad Confirmationem ii solummodo admittantur, qui testimonium de condigna praeparatione peracta scripto exhibeant. Litterae testimoniales Sacramento collato parochis remittantur, ut parochianos, qui Spiritus Sancti dona acceperint, in confirmatorum librum referre possint. Confirmati omnibus, quibus Sacramenti administrandi ordo absolvitur, orationibus devote adsint, nec, antequam benedictionem pontificalem acceperint, ex ecclesia discedant. Patrinus adhibeatur unus, mas mari, foemina foeminae. Sponsores in Confirmatione esse nequeunt, qui in Baptismo patrinorum munere fungi

prohibentur. Insuper confirmandi vitricus seu noverca excludantur. Eundem in Baptismo et in Confirmatione sponsorem habere non licet.

Caput IV.

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

In omnibus Sacramentis vere memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, in augustissimo vero Eucharistiae mysterio divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, ita ut, cum sit omnipotens, plus dare non possit, cum sit sapientissimus, plus dare nesciat, cum sit ditissimus, plus dare non habeat [1]). Tantum ergo Sacramentum omnes intendentes vires veneremur, et si quid ejus gloriae impendere nobis concessum sit, maximum fecisse lucrum confidamus. Adest, qui nos creavit, adest, qui pro nobis in ligno crucis pependit, adest, qui mundum judicaturus redibit, Rex coeli et terrae, quem Angelorum chori adorant. Quantum possumus, audeamus: nam major est omni laude.

Tabernaculum, ubi SS. Eucharistia recondita habetur, sanctissimus, quem orbis terrarum continet, locus est; nam idem, qui in praesepi jacens pueruli figuram oculis hominum videndam praebuit, sub panis ibi specie residet. Quod animosa fide tenemus, summae, quae Deo debetur, reverentiae signis profiteamur. Tabernaculum et intus et exterius, quam optime fieri possit, exornetur. Praeter vasa, quae SS. Eucharistiam actu continent, nihil omnino in eodem reponatur; neque calices, neque reliquiae, neque sacrorum oleorum vascula ibi recondantur. Sollicite occludatur; claves, quas duas habere consultum est, parochus vel ejus cooperator custodiat. Ubicunque Dominus, fons amoris, panis sub specie adsit, lampas diu noctuque collucecat, quae fidelibus Deum praesentem annuntiet atque hominibus recedentibus cultus aliquam et amoris professionem exhibere pergat. Nulla unquam excusatio admittatur; permodici, qui

[1]) S. August. tract. 48. in Joan.

requiruntur, sumtus ad ea pertinent, quae cultus divinus absolute requirit, et si non alio modo, fidelium certe eleemosynis haberi poterunt. Particulae consecratae semel ad minus quovis mense renoventur, vel et saepius, si pro loci humidioris forsan conditione corruptionis periculum immineat.

Calicis et ciborii cuppa saltem, nec non ostensorii lunula ex argento sive auro confecta sint.

In eadem ecclesia, nisi perampla sit, SS. Eucharistia praeter evidentem necessitatem haud plus uno loco asservetur.

Tolerari non potest, ut in ecclesiis filialibus Sacrosanctum Sacramentum asservetur, nisi sacerdotem beneficiarium apud eas residentem habeant, vel quotidie in eis Sacrificium Missae celebretur et ab ecclesia parochiali vel quadam virorum regularium domo non ita distent, ut incendio vel inundatione superveniente sacerdos ad SS. Eucharistiam transferendam tempestive accurrere nequeat. Repugnat reverentiae Deo praesenti debitae, ut per integram septimanam vel et longius tempus sine adoratoribus et venerationis documento in ecclesia occlusa delitescat. Ut autem populus viris ecclesiasticis longe agentibus coram Sanctissimo Sacramento ad litanias dicendas vel rosarium aliasve preces recitandas conveniat, refragatur regulis, quibus Ecclesia in cultu divino moderando utitur.

Cum Deum habitare nobiscum populi Christiani nobilissimum decus et gloriae, quae in nobis revelabitur, praelibatio quaedam existat, Deum habitantem nobiscum, ubicunque compareat, summo adorationis obsequio confiteamur et celebremus. Itaque publice prodeunti, ut aegrotos visitet atque soletur, nullum desit venerationis signum. In civitatibus Sanctissimum Sacramentum non aliter quam sub baldachino per vias publicas deferatur. Excitatur praeterea parochorum pietas, ut in majoribus oppidis, ubi locorum conditio difficultates non parit et baldachinum portaturi non deerunt, animum rei advertant, et quam primum fieri poterit, venerationis illud officium Deo Redemtori exhibeant. Praeter processionem in festo Corporis

Christi babendam aliamve, pro qua expressa Antistitis licentia obtenta fuerit, Sanctissimum Sacramentum ex ecclesia proferre non licet, nisi ut ad aegrotum portetur, vel quando instans profanationis periculum translationem fieri jubeat.

Qui Mariam absolvit et Joanni in sinu suo recumbere dedit, in Sanctissimo Sacramento nos expectat, ut venia nos condonet, consolatione reficiat, amoris ulnis amplectatur. Venite igitur, adoremus Deum, qui denuo exinanivit se et majestatis splendorem modici panis specie contegit, ut in nubibus coeli venientis aspectus placabilis nobis et festivus existat; praeoccupemus faciem ejus in confessione et hauriamus aquam de fontibus Salvatoris! Absit, ut tepescentibus animis ab hominibus deseratur, qui propter homines in altari residet! Sacerdotes ejus in concionibus publicis, in juventutis institutione, in Poenitentiae administratione privatisque colloquiis fideles studiosissime instituant atque commoneant, ut, quam frequentissime pro rerum suarum conditione possint, ad Sanctissimum Sacramentum devotissime visitandum concurrant. Verum ipsi exemplo eos praeeant. Praeterquam si ecclesia a domo parochiali longius absit, (quod paucissimis in locis obtinet) parochus et presbyteri adjutores omnimodam SS. Sacramenti visitationem peragendi habent commoditatem. Laudem merentur, qui, cum possint, horas canonicas coram Sanctissimo dicunt.

Caput V.

De sacrosancto Missae Sacrificio.

Homo, qui per peccatum mortis sententiam incurrit, et poenitentiae spatium et gratiae auxilia adoptionemque filiorum per sanguinem, in quo justificati sumus, adeptus est. Igitur, quae praeter peccatum et peccati poenas habemus, omnia virtute Sacrificii, quod Dominus et Redemtor noster pro nobis in cruce obtulit, tenemus et possidemus. Ipse autem, qui sacerdos est in aeternum secundum ordinem Melchisedech, quod cruentum semel peregit, incruentum perdurare

voluit usque ad consummationem saeculi: unde per vicarium sacerdotis mortalis officium corpus et sanguinem suum Deo Patri sub panis et vini speciebus offert, in remissionem eorum, quae quotidie a nobis committuntur, peccatorum. Haec est oblatio munda, quae a solis ortu usque ad occasum in omni loco nomini Domini offertur, neque nuda est commemoratio satisfactionis in cruce peractae, sed Sacrificium verum et tremendum, quo Deus placatur et nobis propitius redditur, ita ut, quoties hujus hostiae commemoratio celebretur, toties opus nostrae salutis exerceatur. Quapropter sacerdotes ad Agni immaculati mensam accedentes memores sunto, se esse ministros Christi et mediatores generis humani, et cum timore et tremore, cum cordis contritione ac illibata corporis mentisque puritate divinum istud et coeleste Sacrificium celebrent, ut sentire mereantur beatissimam praesentiam Domini et excubias sanctorum Angelorum, qui in circuitu ipsorum tantum mysterium collaudant et adorant. Ab omni delictorum sorde se custodiant; si, quod Deus avertat, peccati lethalis reatu se contaminaverint, altare non adeant, antequam Poenitentiae Sacramento culpam abluerint, excepto tamen necessitatis urgentis casu, qui si contigerit, contritionis actum summo studio eliciant, et confessionem sacramentalem quamprimum peragant. Nemo Missae Sacrificium absque veste talari celebrare praesumat. In usum sacerdotum, qui, cum peregrini sint aut remotiori loco degant, eadem induti ecclesiam facile adire non possunt, vestis talaris in sacristia praesto sit.

Religiosa impendatur cura ut purissima aptissimaque sit materia in Domini Dominantium corpus et sanguinem convertenda. Hostiae sint ex tritici farina et aqua naturali confectae, macularum expertes, recentes. Vinum, si haberi possit, seligatur album, nunquam non purum sit et bonum. Intolerabile esset, si ad tantum mysterium adhiberetur vinum, quod convivis apponere ecclesiae rectorem puderet. In aqua admiscenda sollicite caveatur, ut permodica sit et vini naturam immutando plane impar.

Ceremoniae, quas Ecclesia adhibuit, ut majestas tanti Sacrificii commendaretur, summa diligentia observentur et condigna gravitate peragantur. Omni ergo Missae etiam defunctorum et Beatissimae Mariae Virginis in sabbato tertia ad minimum horae pars impendatur. Difficillimum est, ut quis Missam breviori persolvat tempore, quin in verbis et actionibus delinquat, fieri nullatenus potest, ut in verbis enuntiandis et actibus exequendis eam prae se ferat gravitatem, sine qua exterior pietatis species ad dignitatem Sacrificii et populi aedificationem omnino necessaria consistere nequit. Praeterea ipsa rei divina plane natura et expressa rubricae praescriptio sacerdotem post corporis Dominici sumtionem aliquantum quiescere jubet in meditatione Sanctissimi Sacramenti, quod negligere solent, qui Sacra praecipitanter peragunt. Attamen si quis Missam quamcunque temporis spatio quadrante minori persolverit, sciat, se a gravis reatus culpa vix esse excusandum. Ceterum quicumque sacerdotes saeculares seu regulares tanti mysterii reverentiam nimia festinatione violant, populoque scandalo sunt, ab Antistite dioecesano coërceantur. Minime tamen probandi, qui Missae celebrationem nimia cunctatione protrahunt. Teneatur regula, Missam ordinariam dimidia hora absolvendam esse. Sacerdos ab ecclesia non discedat, antequam Domino gratiarum actionem quam maxima possit devotione obtulerit. Quamdiu panis et vini species perdurant, Jesus Christus apud nos manet; ut autem Deo in nobis pro nobis praesenti omni mentis cordisque virtute laudantes, mirantes, poenitentes, exorantes intendamus, ipsa res jubet; unde qui sine ineluctabili quadam necessitate animum ad alia sua culpa converterit, gravissimae irreverentiae reum se esse sciat; qui gratiarum actionem obiter vel ne obiter quidem persolvere assueverit, maledictionem se pro benedictione habiturum justissime timeat.

Antiquitus fideles inter Sacrificium obtulerunt panem et vinum, ex quo Eucharistia conficeretur et Sacrorum administri alerentur. Hujus in locum pecuniam numeratam contribuere post temporis consuetum

est, non ut consecrationis pretium offeratur, sed ut sacerdos sustentationis suae stipendium habeat. Quamobrem pia haec fidelium oblatio licite percipitur, modo, quidcunque nundinationem sapiat, longe absit. Sacerdos tot Missas celebrare tenetur, quot a stipem offerente celebrandas suscepit, et quae de Sacrificii tempore et loco adjecta forsan fuere, fideliter impleantur. Missas plures, quam ab eo intra bimestre persolvi possint, non suscipiat, nisi offerens dilationi expresse consentiat. Qui stipendio manuali accepto obligationem Missam celebrandi alium in presbyterum transfert, integram eleemosynam, licet stipendio ab Antistite statuto major sit, eidem erogare tenetur, nec partem retinentem juvaret, quod alter rei certior factus consensum tribuerit; quippe non de privatorum commodis, sed de sanctissimae rei decore agitur. Alia tamen Missarum fundatarum conditio; eas enim, cui stipendium adjunctum beneficii titulo debetur, per alium sacerdotem persolvere potest, retenta ea stipis parte, quae stipendium ab Episcopo constitutum superat.

Ut Missae fundatae suscipi possint, accedat oportet Episcopi venia et auctoritas. Approbatae juxta conditiones in fundatione additas religiose persolvantur. Si accidat, ut etiam absque beneficiariorum seu administratorum culpa fundi detrimenta capiant, ita ut eleemosyna stipendium ab Episcopo decretum non amplius adaequet, iis, quibus Missas celebrandi obligatio incumbit, earum numerum pro arbitrio suo minuere non licet: sed ad Episcopum facultatibus Apostolicis munitum, sive ad ipsam Apostolicam Sedem confugiendum erit.

Nemo sub quocunque praetextu audeat, alio in loco, quam in ecclesia aut in sacellis et oratoriis intra facultatum pro eisdem concessarum terminos sacrosanctum missae Sacrificium offerre.

Caput VI.

De sacra Communione.

Dei Filius, qui suo nos sanguine redemit, qui Deus et homo pro nobis in altari residet, qui satisfactionis beneficia quotidie renovat, mirus amore ac potentia, quae his majora nobis tribueret, invenit: nam corpus suum in cibum et sanguinem suum in potum nobis praebuit. Summum hoc inter tanta mysteriorum magnalia, summum inter tanta largitatis divinae beneficia et dignitatis, ad quam homo elevatus est, certissimum pignus: hac enim mensa frui non posset, nisi eum divinae consortem fieri naturae Pater misericordiarum vocaret.

Primorum saeculorum fideles, quorum animis alte impressum erat, se hac in vita peregrinari a Domino, quoties Sacrificio novi foederis aderant, sacra Synaxi reficiebantur, modo plena gauderent communione. Labente tempore caritas refriguit in cordibus multorum. Unde Concilium Lateranense IV. [1]) decernendum duxit, ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti et ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum reverenter suscipiat; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens Christiana careat sepultura. Constitutionem Patres Tridentini canone ab ipsis sancito confirmaverunt, addentes, optare se, ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent. Haec Ecclesiae est mens, haec mens sit omnium, quibus animarum immortalium cura commissa est. Indefessis studiis fideles excitent, ut ad sacram mensam frequenter accedant, eam tamen, quam mysterii ratio exposcit, praeparationem non negligant. Etenim minus sane malum est, panem vitae non tangere, quam sacrilego eum ausu accipere ac indigne manducando mortem sibi manducare. Pueri antequam ad mysterium fidei admittantur, diligenter instituantur et praeparentur.

[1]) Cap. 21.

8

Prima eorum Communio, quo solemniori fieri poterit, modo celebretur, ut animis integris adhuc alte imprimatur Sacramenti majestas et sanctitas. „A fructibus eorum cognoscetis eos“ [2]). Quo saepius quis corporis Dominici particeps reddatur, eo uberiores feret virtutum fructus, modo condigne paratus ad sacrum convivium accedat. Unde de frequentiori seu rariori Communione generali quadam lege nihil constitui potest, sed haec confessarii prudentis et pii judicio relinquenda sunt.

Prohibitum est in sacellis privatis cuiquam vel aegroto sacram Eucharistiam impertiri, nisi expressa hujus rei licentia obtenta fuerit.

Communio diurno duntaxat tempore, ab aurora usque ad meridiem vel immediate post Missam, cujus celebratio hora ipsa meridiana inchoavit, dispensanda est; nec in sacratissima Nativitatis Dominicae nocte fidelibus eam praebere licet. Ubi autem primam Missam hora matutina quinta celebrare consuetum sit, in ea vel post eandem Synaxim sacram conferre fas est, quamvis aurora nondum lucescere coepisset. Praeterea si tanta poenitentium multitudo confluxerit, ut eorum confessiones ante meridiem absolvi nequeant, etiam post meridiem rite jejuni ad divinum convivium admitti possunt.

Caput VII.

De Sacramento Poenitentiae.

Deus, cujus misericordia exaltata est super omnia opera ejus, Poenitentiae Sacramentum secundam nobis post naufragium tabulam dedit, neque tam nefarium habetur et exitiale piaculum, quod eodem non septies et usque septuagies septies deleri possit. Mira et vere divina dignatio, quod Pater aeternus filium haereditatis prodigum, si ad pedes ejus procidens confiteatur: Pater peccavi coram coelo et coram te, sacerdotis ore vestiri jubeat stola prima. Quum autem sanctissimus sit idem, qui clementissimus, peccatorem

---

[2]) Matth. 7, 16.

ex mortuo vivum efficere non potest, nisi conversus fuerit a viis suis malis et ad justitiam faciendam cogitationes et opera direxerit; unde deest debita Sacramenti materia, quando peccator confessionem quidem in ore, sed contritionem non habet in corde. Confessarii munus magna est res: nam quae Sacramentum Poenitentiae rite administrans solvit in terris, ea soluta sunt in coelis; sed et ardua est res: etenim non tantum de propriis peccatis rationem reddet Episcopo animarum nostrarum, sed etiam de peccatis, quae pro sacro tribunali sedens solvit vel retinuit. Non hominis, sed Dei exercet judicium, et quidcunque judicaverit, in eum redundabit [1]). Igitur confessionale non adeat, quin animum ad superna attollens Patris luminum auxilia imploraverit. Quum autem de gratia divina temere confidant, qui cooperandi laborem refugiant, Sacramenti Poenitentiae dispensatores non negligant studia, quibus in sancta regiminis animarum scientia proficere possint, et probatissimos Theologiae moralis auctores assidue revolvant.

Inter praecipua parochorum habetur munia, parochianos doctrina et monitis excitare, ut peccata sua saepius in anno confiteantur, ubi autem reatu, qui ad mortem est, se pollutos sentiant, omnem praecidentes moram ad Poenitentiae Sacramentum confugiant. Caveant, ne horum aliquis cum languido ad probaticam piscinam jacente dicere possit: Hominem non habeo [2])! Igitur tam ipsi, quam sacerdotes eos adjuvantes tribunal sacrum adituros magna comitate excipiant; provideant quoque, ne quis sacristani forsan segnitia seu inhumanitate a salutari proposito deterreatur. In magnis autem civitatibus, et ubi Episcopo visum fuerit, etiam in aliis locis populo frequentioribus, quodsi parochus duos saltem laborum socios habet, quotidie prima incipiente Missa, sabbato praeterea et in festorum dierum vigiliis sub ipsa officii vespertini initia sacerdos tribunal sacrum ingrediatur ad confessiones excipiendas accinctus. Quum piissimus Jesus tanta nos omnes patientia in sanctissimo Eucharistiae mysterio

[1]) Paralip. II. 19, 6.
[2]) Joan. 5, 7.

expectet, dignum est, ut ministro ejus grave non sit, gratiae reparationem quaerentibus aliquam moram impendere. Venient aegroti, si medicum paratum esse sciant. In quavis autem parochiali ecclesia Dominicis saltem festisque diebus et in pervigiliis eorum, nisi forsan vespertinum officium pro locorum conditione non habeatur, parochus vel ejus cooperator fidelibus se ad confessiones eorum audiendas paratos exhibeant.

Quum confessarii et judicis et medici doctorisque munus obire debeant, absolutionem impertiri caveant, nisi prudenter praesumendum sit, poenitentem omnia, quorum sibi conscius sit, peccata gravia speciemque eorum ac numerum exposuisse et contritum habere cor, quod Deus non despicit; attamen quos imparatos judicent, non facile repellant, sed ut paratos eos reddant, pie allaborent. Condolere sciant iis, qui ignorant et errant, quoniam et ipsi circumdati sunt infirmitate. Eas igitur adhibeant interrogationes, quibus plena reatuum confessio eliciatur, eaque monita, quibus poenitens ad delictorum detestationem eaque expiandi desiderium adducatur. Ab inutilibus tamen et otiosis ac tanto magis a periculosis interrogationibus abstineant. Si ad peccata confitendum accedant homines, qui ex pluribus, imo plurimis annis Sacramentorum usum neglexerint, sentire solent, quod in via salutis non ambulaverint, et medicinam facile admittere. Arduum vero negotium confessario facessunt, qui consuetudine duce sive conscientiae, quae vocem nonnunquam attollit, silentium impositauri quovis ferme anno coram tribunali sacro comparent, expectantes tamen et exigentes, ut sacerdos iis, quae afferre libeat, contentus ipsos post generales nonnullas admonitiones cito dimittat. Magna ibi prudentia et patientia opus est; nunquam tamen Dei exercens judicium miseris illis auctor sit, ut dicant: pax, ubi non est pax, et mysterio corporis et sanguinis Domini nostri indigni communicent. Eos vicissim, qui saepius jam cordium secreta ipsi panderunt ac frequenter Sacramentis utuntur, non multum detineat et rescindat inutilia verba, quae sequior cumprimis sexus texere amat.

Confessarius a poenitente complicis nomen nullo sub praetextu exquirat.

Mulierum confessiones praeter infirmitatis casum aliter quam in ecclesia sive sacristia et in sede confessionali non excipiantur.

Quum sanctissima sit silentii sacramentalis religio, quaecuuque ejus violandi vel remotissimam occasionem praebere possint, sacerdos summis curis evitet oportet. Quamquam sigilli fracti reus non sit, qui alteri significet, quorum revelandorum copiam poenitens ei expresse ac directe fecerit, ejusmodi tamen facultatem nec unquam petant, nec ultro oblatam facile acceptent. Poenitenti injungant, ut de negotio monendos vel ipse vel per alium quemdam adeat, nisi forsan ea sit rei natura, ut absque prudenti magnorum malorum metu alius quam confessarii opera uti nequeat. Ceterum eorum, quae in tribunali sacro perceperint, sint peccata vel scrupuli aut ineptiae, nihil omnino neque tecto nomine et longo interjecto tempore enarrent. Quaecunque Dei nomine audierint, cum hominibus colloquentes nesciant.

Cum sacerdotis ad aram Agni litantis puritas summa esse debeat, Concilium praesens in Domino congregatum omnes sacerdotes, quicunque in provincia ecclesiastica Viennensi Sacrificium Missae offerendi licentiam habent, commonet et jubet, ut semel ad minimum in mense peccata sua Poenitentiae Sacramento expient.

Caput VIII.

De Indulgentiis.

Quum pretium, quod Dei Filius pro nobis obtulit, infinitum sit, ad omne, quo justitiae divinae obstringimur, debitum solvendum plenissime sufficit; ut autem superabundans Christi satisfactio singulis nobis applicetur, adjuvante gratia, quam idem Christus Dominus nobis promeruit, concurramus oportet operibus, quorum vis valorque ex hac ipsa satisfactione totus pendet. Conglorificabimur, si compassi fuerimus, nec salvatus

est cruce Christi, qui non est crucifixus in Christo[1]). In eo, qui peccati commissi malitiam perspectam habet totoque cordis poenitentis affectu detestatur, deesse nequit voluntas, injuriam Deo illatam, quantum valet, compensandi, quae si seria sit et constans, operum piorum fructus feret: unde ad poenitentiae integritatem satisfactio pertinet, cujus ope pro intentionis puritate ac animi se ipsum abnegantis firmitate poenae temporales in hac vel altera vita luendae redimuntur.

Unigenitus Dei Filius Ecclesiae militanti, cui peccata et aeternas peccatorum poenas remittendi potestatem fecit, temporales reatuum poenas condonandi facultatem non negavit, quippe dispensandum ei concredidit pretiosissimum meritorum suorum thesaurum, cui merita Beatissimae Dei Genitricis Mariae ac omnium Electorum a primo usque ad ultimum[2]) cumuli adinstar adduntur ita, ut satisfactionum Christi, praeter quem Salvator non est[3]), valorem minime augeant, sed ab his ipsis vigorem, quo pollent, totum repetant. Coelestem istum meritorum thesaurum fidelibus adplicatura pia Mater Ecclesia indulgentias iis lucrandas offert, quae, plenariae cumprimis, saluberrimae sunt eisdem ad Ecclesiae mentem utentibus. Quum peccati maculam delere non possint, sed deletam esse supponant, hominem excitant, ut ad Sacramentum Poenitentiae recurrat et animam peccati vinculis liberatam Angelorum pane reficiat. Ecclesia indulgentiis non desidiae, sed infirmitati nostrae subvenit: cum enim vere conversis offerantur, nihil prosunt absque poenitentiae studio, quo animus a peccato ad Deum vere conversus necessario agitur. Praeterea earum beneficio a vitae hujus aerumnis liberamur, quatenus peccatorum commissorum poenae, non autem quatenus ordinatae sunt, ut Dei opera manifestentur in nobis,[4]) sive tentationes sunt, quibus probemur necesse est, quia Deo accepti sumus [5]); cuncta autem, quae toleramus adversa, Deo

[1]) Prosp. Aquit.
[2]) Clem. VI. ap. Raynald. ad an. 1349 n. 11.
[3]) Os. 13, 4.
[4]) Joan. 9, 3.
[5]) Tob. 12, 13.

in satisfactionem pro peccatis offeremus, si poenitentiae spiritu ducimur. Quapropter magno indulgentias lucrandi studio ad justitiae divinae pro viribus satisfaciendum et in omnibus vitae casibus crucem nostram tollendam efficacissime impellimur. Quo frequentius hoc animo ad indulgentias promerendas eluctamur, eo celerius ad vitae Christianae perfectionem ascendemus. Ut hac ratione poenarum temporalium remissionem quaerant, fideles saepenumero commoneantur et diligenter instituantur.

Indulgentiis cognoscendis secundum Patrum Tridentinorum decreta [6]) duo de Capitulo praeficiantur. Nullae imposterum indulgentiae in ecclesiis sive saecularium sive regularium publicentur, quin earum litterae a praedictis Canonicis subscriptae et ab Antistite per se ipsum vel per Vicarium generalem approbatae fuerint.

Caput IX.

De Sacramento Extremae Unctionis.

Adversarius noster diabolus, qui tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, nihil unquam omittit, ut injustos laqueis suis detineat, et justis eripiat thesaurum, quem fictilibus in vasis portant; quum autem vitae exitum homini impendere perspicit, omnes suae versutiae nervos vehementius intendit: nam parum sibi temporis superesse noscit. Quamobrem clementissimus Redemtor noster Extremae Unctionis Sacramento finem vitae tamquam firmissimo quodam praesidio munivit. Sacramentum hoc conferendum est infirmis, de quorum morte timetur et qui actuale commiserunt peccatum. Igitur administrari nequit mulieribus parituris, nisi peculiaris et gravis murbus accedat, capitis poena plectendis, pueris, qui ad usum rationis nondum pervenerunt, aut amentibus, qui ad eum nunquam eluctati sunt. Negari autem non debet senibus, qui annis fracti et viribus exhausti in dies mori videntur. Aegrotis in eodem vitae periculo constitutis semel tantum conferri potest; si autem conva-

[6]) Conc. Trident. Sess. 21. c. 9. de Reform.

lescere coeperint et postea redeunte morbi vi denuo de vita periclitentur, ipsos denuo inungere licet. In dubio parochus partem laboranti utiliorem amplectatur.

Quamvis infirmo, a quo mortis periculum abest, Extrema Unctio administrari non debeat, multum tamen cavendum, ne nimis differatur. Magna sunt beneficia, quae ex coelesti hac medicina in animam et nonnunquam etiam in corpus redundant: ne eorum quidpiam aegrotantes perdant, animarum moderatores enixe studeant, ut eis conferatur, dum integris adhuc sensibus utuntur. Immisericors est eorum misericordia, qui aegroto in summo jam vitae discrimine constituto nihil agunt, quam ut salutis recuperandae spe deludatur et ab omni mortis cogitatione avertatur. Suprema peregrinationis hujus hora ultima est, qua merita augere, gratiam amissam recipere, salutis aeternae damna reparare possumus, neque secunda habetur mors, qua primae vitium corrigi possit. „Lignum in quocunque loco ceciderit, ibi erit“ [1]). Ut igitur ad tantum subeundum discrimen omnibus, quae divina clementia nobis paravit, auxiliis corroboremur, Ecclesia orare nos docet: A subitanea et improvisa morte libera nos, Domine! Vere autem inimici sunt hominis domestici ejus, si curis perversis efficiant, ut Domino per aegritudinis molestias nequidquam pulsante infirmus, quamdiu sensibus et mente integer existat, extremam instare luctam ignoret, atque morte ipsi improvisa occupatus absolutionem et Extremam Unctionem spiritum jam agens accipiat.

Caput X.

De Sacramento Ordinis.

Dominus Jesus, cum in ultima coena Apostolis corpus suum comedendum et sanguinem bibendum dedisset, eos hoc in ipsius commemorationem facere jussit et proinde potestate auxit faciendi, quae ipse fecerat. Cum resurrexisset, sicut dixerat, portis clausis ad discipulos ingressus, peccata remittendi et reti-

1) Eccle. 11, 3.

nendi copiam eis fecit. Cum completis Pentecostes diebus omnes Spiritu Sancto repleti essent et loquerentur variis linguis, Apostoli Sanctum quoque Spiritum et mira ipsius dona in virtute Ejus, qui Paraclitum miserat, credentibus contulerunt. Piissimus autem Redemtor cum Ecclesia sua usque ad consummationem saeculi futurus, praeterea Apostolis et successoribus eorum dedit, ut usque ad consummationem saeculi potestatem Sacramenta conficiendi et dispensandi et gratiam ad mysteria fidei et munia ecclesiastica administranda necessariam ritu externo ad alios transferre possent. Ordinis enim Sacramentum instituit in consummationem et propagationem mirabilium, quae operatus est pro nobis. Episcopis, presbyteris, diaconis, quibus hierarchia divina ordinatione instituta absolvitur, cum initiantur, pro gradus varietate confertur. Ut sacerdotii ministerium dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ordinatissima Ecclesiae dispositione plures ministrorum diaconis inferiorum gradus adjecti et ita distributi sunt, ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Juxta Ecclesiae latinae disciplinam subdiaconatus ex duodecimo circiter saeculo Ordinibus majoribus annumeratur, unde subdiaconis liberum non est, statui clericali renuntiare, coelibatusque lege ac horas canonicas recitandi obligatione constringuntur. Ordines minores quatuor numero sunt; acolythorum nempe, exorcistarum, lectorum et ostiariorum, qui lege ecclesiastica non impediuntur, ne ad laicorum statum redeant; divina tamen verba recogitent: „Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei"[1]).

Ecclesia hominis in Christo renati dignitatem considerans exclamat: „O felix culpa, quae nobis talem et tantum meruit habere redemtorem!" Quanto hoc jure agat, in sacerdotio, cujus plenitudo Episcopatus est, maxime elucet. Panem et vinum in Domini corpus et sanguinem convertere atque peccata remittere et retinere, divina fere et An-

[1]) Luc. 9, 62.

gelorum choris miranda potestas. Ex ejus amplitndine declaratur simul, quanta sacerdotes non negligentes gratiam, quae ordinationis sacrae virtute in eis residet, pro populi fidelis salute efficere valeant. Attamen „messis quidem multa, operarii autem pauci: rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam" [2]). Etiam in sanctissima hac misericordiae divinae dispensatione adimplentur, quae Dominus noster mundo denuntiavit dicens: „Vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis!" [3]) neque beneficiis divinis digni habentur, qui nullo eorum desiderio tenentur. Igitur Dominicis praesertim quatuor tempora praecedentibus populus opportunis admonitionibus excitetur, ut pastores et in via salutis ductores, qui Spiritus Sancti gratia abundent, enixis a Domino precibus efflagitet.

Quum sapientissima lege cautum sit, ne quis legitimo sustentationis titulo destitutus ad sacros Ordines promoveatur, praesens Synodus Ecclesiae sanctioni ita satisfactura, ut aliunde dignis accessus ad sacros Ordines difficilior haud reddatur, constituendum ducit, circa titulum mensae, ea, quae hucusque in hac provincia observata fuere, retineri debere. Adaequet reditus annuos ducentorum florenorum hucusque consuetae seu ducentorum decem novissimae monetae.

Clericis in minoribus constitutis neque in sacrosancti Sacrificii celebratione, neque in aliis functionibus sacris diaconi sive subdiaconi officio fungi fas est.

Caput XI.

De Sacramento Matrimonii.

Virum mulieremque Deus ipse in paradiso conjunxit, conjunctos mutua sibi caritate adhaerere voluit, qua major non esset praeter amorem Ejus, in quo diligimus, quaecunque recto servato ordine diliguntur. Quum autem peccatum, quod in hunc mundum venit, matrimonii sanctitatem polluisset, Deus et Redemtur noster ipsum coelestibus instruxit auxiliis et ad Sacra-

[2]) Matth. 9, 37. 38.
[3]) Luc. 6, 25.

menti dignitatem evexit. Gratiae, quae venerando hoc Sacramento confertur, ea est vis, ut conjuges cordis ipsi ostia pandentes caput ex rerum mundanarum fluctibus erigere ac in omni earum vicissitudine ea, quae Dei sunt, quaerere doceat. Quo spiritu si agantur, sibi invicem virtutis Christianae exemplo et incitamento erunt, filios ad eam, qua ipsi pollent, fidei et morum integritatem instituent et pietate, honestate, omnisque recti et decori studio quasi lux lucebunt coram hominibus. Nihil efficacius ad disciplinam familiae juxta pietatis Christianae formam reformandam, quam matrimonii Sacramentum susceptum ab iis, qui bonae sunt voluntatis. Nihil autem reipublicae sacrae atque profanae utilius, quam familiae disciplinam secundum cor Domini constitutam esse.

Quum tanta sint bona, quae ex Sacramento matrimonii non solum in singulos, sed etiam in Ecclesiam et societatem civilem redundare possint, parochi omnesque animarum moderatores ex cordibus suorum removere studeant, quae gratiae auxilia praepedire solent. Recogitare jubeant Christi fideles, quod filii Sanctorum sint et non possint ita conjungi sicut gentes, quae ignorant Deum [1]). Idcirco connubium inituri Deum a mente sua non excludant, sed ejus voluntatem diligenter explorent. Caveant adolescentulae, ne falsis pollicitationibus aurem praebeant et nuptiarum spe deceptae in libidinum laqueos inducantur. Sponsis inculcandum est, quod licentia matrimonium praeveniente animam gravi peccato commaculent. Si elementorum fidei ignari sint, antequam ea edocti fuerint, ad nuptias non admittantur.

Valde optandum et pro rerum adjunctis agendum est, ut matrimonio jungendi Confirmationis jam Sacramento muniti sint ad Deo in vocatione, qua vocati sunt, rite serviendum.

Nuptiae tempore antemeridiano celebrentur. Quando justae suadeant caussae, ut in serotinum differantur, et scandali periculum absit, Episcopus ea de re dispensationem indulgebit.

Quum nihil majus, nihil salubrius esse vel cogi-

[1]) Tob 8, 5.

tari possit, quam Sacrificium novi foederis, quo Dei Filius Patri victimam se pro nobis sistit, conjuges non exiguum lucrum fecisse putent, si juxta pium et ecclesiasticum ritum sponsorum Missa pro eis offeratur et benedictiones ab Ecclesia praescriptae eis impertiantur.

S. Ambrosius ait: „Quomodo potest congruere caritas, ubi discrepat fides?" [2]) Ideo Sacramenti gratia matrimonium nobilitavit, ut ejus beneficio sic transirent per temporalia, ut non perderent aeterna, atque in rebus hujus et futuri saeculi mutua se consolatione firmarent. Unde perfectioni foederis nuptialis multum deest, quodsi conjugum alter a recta fide alienus sit; insuper frequenter accidit, ut partis Catholicae ac prolis fides in periculum adducatur. Quamobrem Ecclesia matrimonia mixta improbat et semper improbavit. Parochus suos ab ejusmodi connubiis impense dehortetur et eorum celebrationem nullatenus admittat, nisi debitis cautionibus praestitis dispensatio obtenta fuerit. Quodsi tristis assistentiae passivae necessitas adsit, pars Catholica opportune commoneatur, quantum culpae adderet casu, quo aliquem matrimonii benedicendi ritum a ministro acatholico peragi sineret.

Parochus prudenter et discrete agat, ut munda per omnia sint consortia, quibus gratiae supernae auxilia praesto sunt.

Caput XII.

De Sponsalibus clandestinis.

Quamvis matrimonii ineundi promissio mutua, rata, deliberata, etiamsi verbis solummodo et absque testibus data fuerit, ad sponsalia valide contrahenda sufficiat, multa tamen sunt mala et magna animarum pericula, quae ex sponsalium clandestinitate oriri noscuntur [1]). Si resiliens verum fateri nolit, neque epistolas dederit, quibus mendacii coarguatur, quaevis ad probationem implendam via abscissa est: unde ejus-

[2]) De Abraham. II. c. 9.

[1]) V. Bened. XIV. institut. eccl. 46.

modi promissionibus ad mulieres seducendas tuto abuti potest, qui Deum judicem non timet. Praeterea cum matrimonii consummati vinculum nonnisi morte rescindi queat, in conjuge seligendo perquam matura deliberatione opus est; ut autem fidem suam aliquis praepropero consilio obliget, in sponsalibus clandestinis longe facilius, quam re publicata accidit. Denique etiam in nectendo matrimonii vinculo filiifamilias obediant oportet Domino dicenti: Honora patrem tuum et matrem tuam! Quapropter nec eis licet parentibus insciis vel justis ex caussis dissentientibus de matrimonio contrahendo pacisci. Parochi ergo et confessarii fideles a sponsalibus clanculo ineundis graviter dehortentur. Scriptis exaratis vel saltem coram duobus sive tribus testibus fiant.

Caput XIII.

De Caussis matrimonialibus.

Ad caussas matrimoniales summa cura et religione tractandas omnes, quorum interest, operam studiose conferant. Tam judices, quam partes prae oculis gerant, summam rei versari circa Sacramenti divinitus instituti valorem sive obligationes ex ejusdem susceptione redundantes. Quamvis cunctae juris sanctiones et cautiones adcurate observandae sint, meminerint tamen, in judiciis matrimonialibus non eamdem esse, ac si res mere temporales agitarentur, regularum juris rationem. Homo, dum exul est in hac lacrimarum valle, de iis tantum, quae fide divinitus infusa tenet, absolute certus esse potest, in ceteris, ne propriae quidem salutis negotio excepto, praeter extraordinarium revelationis supernae beneficium certitudini, quam moralem dicunt, acquiescat oportet. Quaelibet judicis humani sententia innititur praesumtioni alicui, quam a vero haud aberrare neque cunctis legis cautionibus diligenter observatis absolute certum est. Verum publice multo magis expedit, ut interdum sententia, quae a justi tramite aberraverit, firma ma-

1) Levit. 19, 15.

neat, quam ut omnium sententiarum firmitate nutante omnis justitiae ordo perturbetur. Unde non tantum leges civiles, sed etiam canones statuunt, ut sententia praestitis praestandis in rem judicatam transeat et irrevocabile inter partes jus faciat. Attamen Ecclesia sancta et tota pulchra regulam exceptione temperat, quoties peccati praepediendi necessitas id postulet. Nemo obligatur ad ea, quae salva conscientia praestare nequit: itaque si sententia judicis humani partibus ea permittat vel praecipiat, quae ut liceant, earum consensus non sufficit, jus inter ipsas facere nequit. Judicis errore ducti sententia neque ut matrimonii legitime contracti vinculum solvatur, neque ut impedimentum obstans tollatur, efficere valet: quocirca nisi forsan matrimonium, cujus convalidatio a partium consensu pendeat, per eam confirmatum sit, jus inter partes faciendo impar et quandocunque de errore constet, revocanda est. Recogitent igitur conjuges, si judice earumdem falsis depositionibus vel quibuscunque machinationibus in errorem ducto sententiam nullitatis obtinuerint, matrimonii vinculum coram Deo non solvi et etiam coram judice humano restituendum esse, quandocunque error probatus fuerit. Judices autem matrimoniorum in omni casuum varietate videant, quid faciant; nam ipsi quoque non hominis, sed Domini judicium exercent [1]). Taceat humanus affectus: neque mortalium reverentia, neque commiserationis sensus eos commoveat: „Non consideres personam pauperis nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo" [2]).

Paterna commonitionum officia, quae separationi a thoro et mensa coram judice agitandae praemitti debent, parochus impensis studiis persolvat. Magnae non raro negotii difficultates. Parum nonnunquam spei affulget. Faciat, quae ipsius sunt: si eo ministrante Deus corda conjugum conciliaverit, familiae cujusdam Christianae integritatem servavit.

Ceterum Synodus statuit, instructionem, quam de caussis matrimonialibus pertractandis Eminentissimus Metropolita exaravit et Antistites anno 1856

[1]) II. Paralip. 9, 6.
[2]) Levit. 19, 15.

Viennae congregati adoptandam esse censuerunt, sicuti hucusque in hac provincia ecclesiastica normae adinstar erat, imposterum quoque adhibendam et accurate observandam esse.

Caput XIV.

De Sacramentalibus.

Maximis, quae Sacramentis conferuntur, beneficiis divina largitas minora addidit, quae tamen et ipsa magna; nam nihil modicum est, quod ad vitae aeternae bona refertur. Ritus quidam et ceremoniae sacrae ab Ecclesia institutae, opera praeterea pia, quibus Scripturae effata gratiae divinae promissionem adjungunt, Sacramentalia adpellantur: quippe licet sanctificandi vim opere operato se exserentem non habeant, tamen, quando debita cum intentione adhibentur, Pater misericordiarum et luminum pius in nobis motus excitat, ut eis ad fidei et spei, poenitentiae ac amoris attollamor actus, quorum virtute peccata venialia expiantur et caritas augetur. Cum igitur nemo possit nisi ex speciali Dei privilegio in tota hac mortali vita peccata omnia etiam venialia vitare, et caritatis augmentis homo Christianus irremisso studio intendere debeat, sapientia, quae de sursum est, Sacramentalibus continenter ac devote utinos edocet: etenim ad auxilia superna multiplicanda et totum vitae decursum sanctificandum opem ferunt. Qui autem minora negligit, metuat, ne majoribus indignus habeatur.

Sex, ad quas revocari solent, classes, innuit versus: „Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens." Oratio Dominica, quemadmodum S. Augustinus docet, delet minima et quotidiana peccata; delet et illa, a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed poenitendo in melius mutata discedit [1]). Sed et aliae preces, quibus Deum in spiritu et veritate adoramus, maxime eae, quas prout horas canonicas ex ecclesiastica institutione persolvimus, salutarem hunc effectum exercent. Aquae benedictae aspersio populum ad supernas cogi-

[1]) Enchirid. c. 7.

tationes excitatum sanctificat et mundat; quod idem valet de unctionibus ceremonialibus, quae sacris aut benedictis oleis conficiuntur. In panis seu alius cibi benedictione orat Ecclesia, ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis et contra omnes morbos et universas inimicorum insidias tutamen. Quodsi benedictionis memores corporis nutrimentum ea capiamus mente, ad quam Ecclesiae oratio nos informat, in animae convertitur alimentum. Confessio peccatorum non sacramentalis, qualis in Missae Sacrificio et in divino officio recitatur atque alias quoque perutiliter exercetur, confirmat augetque dolorem de peccatis commissis ac pro eis satisfaciendi studium. Eleemusyna, cui cetera misericordiae opera tam corporalia, quam spiritualia merito aequiparantur, ipso nos edocente Spiritu Sancto ab omni peccato et a morte liberat [2]). Sacramentalium quoque rationem habent benedictio Episcopi, quem Deus fons totius benedictionis dispensatorem domui suae praeposuit, et benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, quae secundum Ecclesiae institutionem peractae hominem in fide stantem ad altissimarum rerum memoriam erigunt.

[2]) Tob. 4. 11.

Titulus IV.

De Cultu divino publico et Pietatis Christianae Operibus.

Caput I.

De Cultus divini publici necessitate et dignitate.

Deo laudes gratesque adunata fidelium multitudine persolvere, plurimum valet ad pietatis sensus alendos et confirmandos; nam prout flamma flammis accedentibus crescit, sic fides et devotio nostra exemplis coetus Christiani ad Dominum adorandum congregati augmenta capit. Praeterea generi humano sanctissima est obligatio, bonorum omnium auctori palam junctisque viribus litare. „Gloriam meam alteri non dabo" [1]), dicit Dominus. Quamvis Deus, qui ens a se atque in se ac per se absolute perfectum est, creaturis seu laudibus ab eis oblatis nulla ex parte indigeat, non velle tamen non potest, ut, quos sui ad imaginem liberrima benignitate creavit, naturae ipsis datae conformiter agant et proinde Summo summum honorem deferant. Igitur publicum Deo cultum exhibens persolvit tributum naturae rationali proprium, et eum, per quem sunt omnia, coram omnibus justissimo humilitatis obsequio profitetur.

Caput II.

De Ecclesiis.

Deo, qui corda videt, maxime nitet ecclesia, ubi optimae voluntatis adoratores congregatos conspicit. Qui autem spiritum sanctae dilectionis adepti sunt, desiderio desiderant, ut coelum et terra conspirent in laudem Altissimi, qui coelum et terram fecit et omnem

[1]) Isai. 42, 8.

ornatum eorum. Ipsa, quae optimam partem elegit Maria unguentum pretiosum super Domini pedes effudit; reprehensorem habuit Ischarioten, qui pauperum caussam praetendens pia officia perditionem vocavit; commendatorem habuit Christum, qui praedixit, fore ut, ubicunque Evangelium in toto mundo praedicatum fuerit, bonum, quod operata sit, opus celebraretur; laudesque Mariae usque ad ultimos terrarum fines pervenerunt. Nunquam ab animo recedat, eumdem, qui Mariae obsequia probavit, Deum numenque in templis nostris adesse. Quum Ecclesia ex catacombis et domibus privatis, ubi delituerat, prodiisset, quidquid artium aetas illa, quidquid divitiarum imperium Romanum tenebat, basilicis construendis et multiplici opere exornandis impensum est. Aedes sacrae, quae medio aevo erectae sunt, erubescere jubent aequiorum temporum gentes industria et opibus longe majores, fide et cunctis, quae ad coelestia tendunt, studiis inferiores.

Allaborandum itaque est, ut decorem domus Domini diligant fideles. Parochi satagant, ut eorum ecclesiae, quam optime fieri possit, exornentur. Pro viribus contribuere non refugiant. Pastorum exempla pastorum verbis magnam ad animos commovendos vim addunt. Qui parum habent, recordentur viduae, quae, cum aera duo minuta in gazophylacium templi misisset, Domino teste plus omnibus dedit. Certe tamen munda sint omnia, et aedituis hac de re diligenter invigiletur.

Mundissima sit pelvis baptismalis, utpote aquam continens, ex qua et Spiritu Sancto in Adam mortui renascuntur. Ubi haberi potest, ex marmore conficiatur; si ex cupro constat, stannum, quo obducitur, frequenter renovetur, praesertim, quando ecclesiam humidiorem esse contingit.

Sacrario decenter provideatur; sera occlusum sit, clavim parochus custodiat.

Neque in ecclesiis, neque in sacellis, ad quae populo aditus patet, imago nova sine Episcopi approbatione ponatur. Tabulae pictae in domo Dei expositae oculis ea exhibeant oportet, quae, cum credendorum et diligendorum memoriam excitent, ad fidem firmandam et amoris ignem incendendum faciant; nihil, quod su-

perstitionem sapiat, contineant, omni ex parte decorae sint et a procaci venustate alienae. Monentur tamen parochi et omnes ecclesiarum rectores, pietatis incitamenta augeri, non minui, si pulchri vere talis ratio habeatur; neque expedire, ut imaginibus superponantur imagines, mediocris plerumque artis documenta.

Imagines et ornamenta, quae vetustate deformatae esse videntur, absque virorum peritorum consiliis non removeantur, ne contingat, ut rebus arte et industria potioribus substituantur aliae, quae nullam quam novitatis commendationem habent. In ecclesiis exornandis sive reparandis artis generi, cujus rationem constructio refert, diligenter attendatur.

Nemini ecclesiam vel sacellum publicum extruere licet, quin ab Episcopo licentiam scriptis mandatam obtinuerit. Antistes re ad ipsum delata curam habebit, ut locus inspiciatur; idoneum repertum adprobabit; examinabit quoque, an provisum sit de supellectili, nec non de dote, quae fabricae conservandae sufficiat. Facultate concessa aedis construendae spatium et primus lapis statis caeremoniis dicetur. Quaevis ecclesia sive sacellum publicum aut ab Episcopo consecretur, aut a presbytero, quem delegaverit, benedictione et precibus lustretur: quod ante quam factum sit, divina ibi officia celebrare nefas est.

Nulla ecclesia, nullum sacellum publicum absque justa caussa et Episcopi auctoritate diruatur vel ad usus profanos convertatur.

Caput III.

De Festorum dierum Sanctificatione.

Cum in poenam hominis, qui sicuti Deus esse voluit, terra maledicta sit, labores, in quibus ex ea comedit, accedunt concupiscentiae pravae, ut quasi jugo imposito eum incurvent et deprimant, nisi oculis animoque ad coelum erigendis curam impendat. Idcirco Dominus ad Moysem locutus est dicens: „Videte, ut sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis, quia ego

Dominus, qui sanctifico vos. Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ejus" [1]). De Dominicis festisque diebus, qui sabbatorum religionem perfectiori cultu propagant, eadem lex pupulo Christiano indicta est. Dies Domino peculiari modo sacri laborum, qui temporalia attinent, interstitia imperant et mentis cogitationes cordisque desideria ad superna convertunt. Solemniori cultu divina peraguntur, conciones sacrae habentur, vespertina adduntur officia. Quum fideles olim Dominicis et omnibus, quibus possent, diebus ad mysteria fidei celebranda ultro confluerent, insuperhabito persecutoris gladio eis impendente, Ecclesia postmodum explicita sanctione statuit, ut Dominicis saltem festisque diebus sacrosancto Missae Sacrificio adsint; et ejus mens est, ut Verbi divini praedicationem audire aliisque pietatis exercitiis vacare non omittant. Quae licet ad singulorum salutem pertineant, signum tamen simul sunt inter Dominum et populum, qui, cum diem Domini observantia condigna sanctificat, Regem saeculorum profitetur et sanctificationis gratiae viam sternit. Unde qui religioni evertendae student, Dominicae sanctificationem magnis odiis persequuntur et nihil non agunt, ut, quamdiu hostia placabilis offeratur et Christus ex suggestu praedicetur, communium dierum strepitus laborque producatur; horas pomeridianas delectationibus adscribunt, quarum in supplementum feriam secundam addunt. Si voti compotes facti Dominicae sanctificationem opprimere possent, instaret pejus quid, quam supplicium veteris testamenti lege sabbati contemtoribus decretum. „Gens enim et regnum, quod non servierit tibi, peribit." [2]) Populi Evangelii lumine collustrati eadem lege utuntur, quam Capharnao Dominus statuit: quod cum Dei in carne ambulantis hospitio usque ad coelum exaltatum fuerit, beneficio spreto usque ad infernum demersum est [3]). Qui rebus labilibus ita intenti sunt, ut, ubicunque earum augendarum spes quaedam affulgeat, Christum et Ecclesiam

1) Exod. 31, 13. 14.
2) Isai. 60, 12.
3) Luc. 10, 15.

ejus flocci habeant, vestigia sequuntur Judaeorum de Christi morte deliberantium. Temporalia perdere timuerunt et vitam aeternam non cogitaverunt, et sic utrumque amiserunt [4]).

Ceterum industriae utilitatem praetexentium inanes plane causationes sunt. Habentur gentes a fide Catholica alienae, quae, cum terrenis rebus augendis summa industria et pari successu allaborant, ex Dominicae colendae praecepto id retinent, ut in ea sollicita religione quiescant; hominibus Catholicis Dominicae contemtoribus ne umbram quidem excusationis relinquentes. Undequaque igitur sapientiae laudem merentur leges Austriacae, quarum patrocinio dierum sacrorum cultus adversus paucorum avaritiam sive licentiam defenditur, ne horum exemplis contagio ulterius propagetur.

Extant nihilominus his in regionibus, quibus ipsis diebus Domino sacris ita ministrandum sive serviendum est, ut etiam Missae audiendae copiam aut difficillime aut omnino non habeant. His animarum periculis, quantum res sinat, declinandis animus advertatur et praesertim agatur, ut numerosissimis hominibus, qui viarum ferrearum rebus occupantur, diebus Dominicis et festivis aditus ad Sacrificium novi foederis pateat.

S. Leo M. dicit: „Rationale et quodammodo religiosum videtur per diem festum in vestitu nitidiore prodire et habitu corporis hilaritatem mentis ostendere“ [5]). Diei Domino festi cultus etiam in externis festivus sit. Fidelibus integrum est, post divina persoluta officia mentem relaxare animumque recreare, quin timorem Domini et innocentiam christianam violent. Cum autem Dominicis festisque diebus ideo ab operibus mundanis cessandum sit, ut divinis liberius vacare possimus, reprobanda est desidia eorum, qui Missa vix ac ne vix quidem audita de otio tantum et deliciis cogitant.

Parochi impensam operam navent, ut pro rerum conditione his praecipue diebus nihil desideretur, quo mysteriorum Dei reverentia augeri ac pii fidelium af-

[4]) S. August. tract. 49. in Joan.

[5]) Leo M. serm. 40. c. 1.

fectus inflammari possint. Officium divinum hora statuta praecise exordiantur. Si adesse differat parochus, parochiani morae taedium vitaturi accedere et ipsi different, negligentiores negligentiae praetextum habebunt, et omnis ordo turbabitur.

Caput IV.

De Verbi divini Praedicatione.

S. Gregorius Nazianzenus insignem inter Ecclesiae Doctores locum tenens Verbi Dominici dispensatores admonet: „Mihi quidem res minime vulgaris parvique spiritus esse videtur verbi perinde ac tritici mensuram tempestive cuique dare et dogmatum nostrorum veritatem cum judicio dispensare; praesertim apud multitudinem, quae ex variis aetatibus animique affectionibus conflata est ac musici cujusdam instrumenti multis fidibus constantis in modum variis pulsibus opus habet, difficile est, ejusmodi orationem invenire, quae omnes concinnare ac scientiae lumine collustrare possit“ [1]). Itaque Christum praedicandi munere functuri praeparationem diligentem praemittant; „maledictus est, qui facit opus Domini fraudulenter“ [2]). Ut sermonibus virorum pietate et doctrina praestantium utantur, minime improbandum; in sancto hoc et salutari ministerio non de auctoris gloria quaerenda, sed de grege Christi pascendo agitur, et laudem merentur, qui fidelibus profutura formicarum ad instar undique comportant. Sacram Scripturam assidue relegant; nam et vitae et veritatis fons est. Adeant Ecclesiae Patres et Doctores, qui ex limpidissimo fonte aquas Salvatoris impigre hauserunt.

In populo fideli concionibus instituendo parochi catechismum ex decreto Concilii Tridentini eorum in usum editum ducem sequantur. Ita conciones suas disponant, ut anni curriculum non absolvant, quin populum de praecipuis fidei mysteriis mandatisque divinis ex suggestu instituerint. Ad catechismum dioecesanum

---

[1]) S. Gregor. Naz. orat. II. (alias I.) n. 35, 39.

[2]) Jerem. 48. 10.

frequenter recurrant, ejus verba exponant, sacrae Scripturae et sanctorum Patrum eloquiis confirment, exemplis pro re nata dilucident. Doctrinae soliditati multum derogat nutantium verborum varietas, licet ad eundem sensum exprimendum tendant. Si explicationes uberiores adhibeant, curam simul agant, ut populus fidelis intelligat, quam optime ista disciplinae, qua a pueris eruditus fuerit, respondeant. Quum autem omnibus omnia fieri debeamus, Synodus non improbat, sed potius commendat et praecipit, ut Evangelii praecones pro re nata etiam ornatiori sermone utantur. Eorum, qui conveniunt, indoles et indigentiae spirituales prudenter ponderandae et cuncta ad animas Deo lucrandas pia assiduitate componenda sunt.

Evangelii explanatio non negligatur. Ubi parocho unus saltem laborum socius praesto est, in Dominicis et festis praeter copiosiorem sermonem ante vel inter Missam, quae solemniori ritu celebratur, dicendum mane in Evangelium ea die legendum homilia brevis facilisque habeatur.

Sacerdos Christum praedicans Christi rebus intentus esto, de suis ne cogitet quidem. Regulam teneat, de se ipso nullatenus loquendum esse, neque facile sibi persuadeat, justam haberi exceptionis caussam. De injuria, quam acceperit vel accepisse credat, cum parochianis nunquam ex suggestu sacro expostulet. Muneris sui partes explet, si de peccatis, quae frequentiora apud suos occurrant, accuratius tractet, in eorum foeditatem invehatur, oppositae virtutis praemia et decora commendet; attamen nunquam singulorum scandala ita describat, ut nomen reticuisse parum referat. Parochus hominem, per quem scandalum in plebem venit, ad se accersat et solus cum solo agat vel seniorum communitatis officia adhibeat. Publicae in peccantes declamationes eos pro temporum ratione magis exacerbare, quam ad salutem confundere solent, imo magnae inde lites et difficultates enasci possunt.

Caput V.

De Doctrina Christiana.

Etiamsi per provinciam Viennensem nulli parochiae sua desit schola, in qua pueris praeter res ad vitae temporalis usus spectantes fidei rudimenta statis horis tradantur, parochi tamen non negligant, die Dominica pueris in ecclesia doctrinam Christianam exponere, et quem in rudimentis fidei progressum fecerint, explorare. Ita tamen institutionem adornent ac dirigant, ut etiam adulti eam lubente animo frequentent et cognitionum, quae regnum coelorum spectant, continuam renovationem habeant. S. Cyrillus Hierosolymitanus, cujus catecheses insigne antiquitatis Christianae monumentum sunt, rudium in fide magistros commonet: „Aedificium quoddam catechesin esse puta. Nisi fodiamus et fundamentum ponamus, nisi ordinata serie structurae vinculis apte conjungamus domum, ne quid hians reperiatur, aedificatio debilis fiet. Oportet ergo lapidem lapidi apponere et angulum angulo conjungere, ut firma hoc modo aedificatio ascendat. Eadem ratione tibi tamquam lapides cognitionis adferimus“ [1]). Haec sancti Patris monita sequantur parochi, cum doctrinam Christianam exponunt. Juxta catechismi dioecesani ordinem normamque progrediantur, congruas explicationes et illustrationes addant; paucis quoque in auditorum memoriam revocent articulos fidei, sine quibus res dilucidanda recte intelligi nequit. Coronidis loco fidei et morum praecepta, de quibus actum sit, ex ordine recolant et pias aliquas commonitiones addant.

[1]) Cyrill. Hierosol. Procatech. §. 6.

Caput VI.

De Cantu ecclesiastico et Musica.

Quum ea sit hominis conditio, ut ad animi affectus significandos et excitandos sonus apte dispositus maxime valeat, cantus et musica a laudibus divinis nunquam abfuerunt. Curribus Pharaonis et exercitu ejus in mare projectis Moyses et filii Israël carmen cecinerunt Domino, et Maria prophetissa sumsit tympanum in manu sua egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris. In templo Hierosolymitano Levitae numerosissimi deputati erant, qui Dominum in psalmis laudarent et canticis, in citharis et cymbalis jubilationis. Ritum hunc sacrum Ecclesia novi testamenti suam in liturgiam ita transtulit, ut omnia, quae pietatem impedirent magis, quam augerent, omnino semota vellet. Vocum modulatio et organorum sonus id praestet oportet, ut altius haereat sensus verborum sacrorum. Nihil igitur habeat, quod mundum sapiat aut ex theatrorum symphoniis desumtum efficacius sit ad animi fragilium amore vulnerati tumultus, quam ad sanctae dilectionis sensus exprimendos; neque tolerandum, ut cantus, qui redemtionis mysteria in Missae Sacrificio renovata comitatur, spectaculi profani vicem subeat. Quamvis nostris in regionibus fieri nequeat, ut homines saeculares a choro arceantur, nemo tamen admittatur, cujus conversatio notoria labe contaminata sit.

Scholae puerorum ad cantum ecclesiasticum efformandorum, modo rite dispositae sint, decori cultus divini egregie consulunt: unde in Cathedralibus saltem ecclesiis, ubi adsint, augeantur, ubi desint, instituantur.

Caput VII.

De Oratoriis privatis.

Admodum optandum est, ut Dominicis et festis diebus parochiae adscripti omnes in ecclesia parochiali conveniant, et nobilitate opibusque inter suos potiores pietatis exemplo ceteros accendant; neque parum deest incitamentis, quae ex devotionis communione derivantur, si nobiles secundum carnem pietatis suae exercitia domibus privatis recondant. Locorum tamen distantia, infirmitas et aliae caussae efficere possunt, ut nonnulli in oratoriis intra privatas eorum aedes contentis etiam Dominicis festisque diebus, solemnioribus tamen plerumque exceptis, Missam audire permittantur.

Patres Tridentini decreverunt: „Neve (Episcopi) patiantur, privatis in domibus et omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda sanctum hoc Sacrificium a saecularibus seu regularibus quibuscunque peragi[1]).“ Ex quo tempore jus permittendi, ut in alio loco, quam in ecclesia aut in oratorio ad divinum cultum dedicato hostia divina litetur, Sedi Apostolicae reservatum est[2]). Quando obtineri contingat indultum de Missa in privato quodam laicorum oratorio celebranda, ejus litterae curiae episcopali exhibendae sunt. Antistes curam gerat, ut locus oratorio destinatus diligenter examinetur. Decorus sit oportet et separatus a cubilibus, ubi res profanae tractantur. Altare parieti inhaereat; supellex necessaria adsit. Oratorium ad alium locum transferri nequit, nisi eadem inquisitione habita idoneus repertus fuerit. Indulti tenor strictissimae interpretationis est. Unam tantum Missam, nisi secunda expresse concessa sit, et eam solummodo indultariis praesentibus celebrare licet. Ei assistentes praecepto, Missam diebus Dominicis et festis audiendi, non satisfaciunt, nisi ex iis sint, quibus ut satisfaciant, expresse indultum sit. Diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativi-

1) Sess. 22.

2) Benedict. XIV. Encycl. Magno §. 11.

tatis Domini nostri Jesu Christi et aliis solemnioribus diebus, praesertim die Epiphaniae et Ascensionis Domini, Annuntiationis et Assumtionis Beatissimae Mariae Virginis, omnium Sanctorum, nec non Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac titularis ecclesiae Sacrificium divinum in oratoriis privatis celebrari non potest [3]), nisi facultas ad aliqua vel et omnia festa illa expresse extendatur.

Sacerdotes in oratoriis privatis celebraturi indulti Apostolici tenorem attente examinent, neque praeter ejusdem limites divina ibi facere audeant.

Vetitum est, in iisdem locis sacram Eucharistiam sine licentia ab Episcopo impertita quibuscunque dispensare [4]). Sacrosanctum Sacramentum ibi asservare nefas est.

Caput VIII.

De Cultu Beatissimae Mariae Virginis, S. Josephi et Omnium Sanctorum.

Quamvis sempiterna Domini virtus et divinitas per visibila, quae fecit, manifesta nobis reddatur, perfectiori tamen et nobiliori longe ratione ex iis intelligitur, quae Spiritus Dei in Sanctis suis agit. Adamemus igitur, visibilia praetergressi, mentem elevare ad Sanctos, quibuscum Deum videre desideramus. Admiremur Altissimi majestatem et bonitatem, quae ex eis quasi ex purissimo quodam speculo resplendet. Honoremus, quos Omnipotens honorat, et in quibus Patris omnipotentis Filius adimplet, quae promisit dicens: „Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod praecinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis“[1]). Imploremus auxilia cum Christo regnantium: nam Dominus, ut clarificaret merita passionis suae in eis, et gratiae praesidia nobis multiplicaret, ipsos deprecatores et intercessores nobis dedit, multumque orant pro populo Dei et pro sancta Ecclesia.

[3]) Bened. XIV. Magno §. 12.
[4]) Ibid. §. 15.
[1]) Luc. 12, 37.

Nihil splendidius est illa, quae splendorem concepit: Virgo, ex qua sol justitiae ortus est, inter creaturas sicuti sol inter sidera lucet. Potens est, pia est Dei mater Maria. Potentiis coelestibus faciem velantibus humanum genus illi offert, quem genuit. Ipsa tenente non corruimus, ipsa protegente non metuimus, ipsa intercedente digni efficimur promissionibus Christi. Igitur prae omnibus Sanctis et Electis Dei colamus Dominam et Advocatam nostram assiduisque precibus ad eam clamemus, ut misericordes oculos ad nos convertat.

Probatissima est precandi forma, quae, cum salutatione angelica pie iterata quasi rosis rosas jungat, rosarii nomen haud immerito tulit. Rosarii devotione gaudeat indoctus, nec eam aspernetur doctus, humilians se sicut parvulus, ut major sit in regno coelorum[2]). Omnes autem precum coronam ita texere studeant, ut mentem ad benedictam inter mulieres et benedictum fructum ejus erectam teneant et mysteria reparationis nostrae per singulas decades disposita ex intimo animi sensu recolant.

Pius et optimus mos est, Virginis Dei matris cultui mensem Majum singulari ratione addicere. Campis silvisque decor suus rediit, coelum ridet, flores florent: quo animus rerum divinarum amans invitatur ad memoriam Reginae, quae velut e spinis mollis rosa surrexit acutis, nil, quod laedat, habens[3]). Monentur igitur parochi, ut ubi fieri potuerit, mense Majo in honorem Beatissimae et Immaculatae Virginis Mariae juxta ordinem ab Antistite dioecesano praescriptum aut approbatum publica pietatis exercitia habeant.

Cuncti, quibus Christum adorare et Mariam celebrare sanctum et dulce est, S. Josephum devote colant. Christi pater putabatur et patris officia ei exhibuit. Sponsus erat Mariae, testis mysterii incarnationis, custos Filii Patris omnipotentis et Sponsae Spiritus Sancti. Filius David justus et humilis confundit superbiae humanae fastum. Apud homines faber lignarius

---

[2]) Math. 18. 4.

[3]) Sedul. carm. pasch. II. v. 29. 30.

dicebatur, in coelis ineffabili fulget gloria, neque Christo, qui ei ut patri subditus fuit, neque Maria, quam in sua recepit, eum negantibus.

Communis praeterea omnium Catholicorum caussa est, eximium cultum impendere S. Michaeli Archangelo, Principi militiae Angelorum, salutis signifero, qui bellum cum dracone victor commisit, et in illo ultimi discriminis tempore magnus adjutor consurget; S. Joanni Baptistae, praecursori Domini, qui in matris utero sanctificatus Regem saeculorum baptizare meruit; S. Petro, Apostolorum Principi, super quem Dominus aedificavit Ecclesiam suam; S. Paulo, Apostolo gentium, qui vas electionis est et praedicator veritatis in universo mundo; S. Joanni, discipulo, quem Dominus dilexit, virgini, cui virginem Matrem commendavit, aquilae, cui revelata sunt secreta coelestia. Conspirent omnes, qui provinciam sive dioecesim incolunt, in venerationem Sanctorum, quos Deus in providentia sua provinciae sive dioecesi patronos dedit. Peculiari autem et quotidiana devotione singulus quisque intendat Coeliti, quem cum regenerationis Sacramento protectorem accepit, et Angelo Custodi, qui missus a Domino eum comitatur in omnibus viis ejus.

Caput IX.

De Exercitiis spiritualibus publicis.

Exercitia spiritualia publica, quae missionum nomine veniunt, utilitatem insignem afferunt. Cum concionibus per plures continuos dies habitis praecipua credendorum capita proponantur et veritates aeternae justa connexione invicem se illustrantes exhibeantur, facilius supplentur, quae homines ignorant, efficacius inculcantur, de quibus parum curant. Pia multitudinis confluentis studia mutuo se accendunt et alunt. Functionibus et exercitiis sacris per totum ferme diem dispositis plerique devotione consueta majori adsunt, animum ad peccatorum confessionem impensiori studio parant et ex corporis Dominici susceptione ampliores fructus percipiunt. Eorum etiam, qui curiositate duce

accedunt, multi voce Domini ad ostium stantis commoventur.

Cum igitur Deus totius gratiae missionibus praedictis non infrequenter utatur, ut impios ad se convertat et eos, qui neque calidi neque frigidi sunt, igne Spiritus Sancti foveat, atque ipsae locum simul teneant renovationis spiritus, sine qua pietas conservari et augeri vix potest, rite habitae omnibus ubique salutares esse probantur. Quodsi autem paroebiae sint, in quibus pietatis studium frigescere et Sacramentorum frequentatio remittere coepisset, vel ubi superabundante populi numero parochus ovibus quaerendis et pascendis sufficere nequeat, animarum salus, suprema Episcopi lex, ut ad missiones confugiatur, districte jubet.

Caput X.

De Exorcismo.

Certissimis sacrarum Litterarum testimoniis constat, permittente Eo qui, angelis tenebrarum quemadmodum maris desaevientis fluctibus imperat, daemones facultatem habere, humana corpora obsidendi. Ex quo draco antiquus ligatus est et in abyssum missus, usquedum in modicum tempus denuo solvatur [1]), tremenda haec occultorum Dei judiciorum exempla raro occurrere coeperunt. Magnum aliquid sunt exorcismi, qui potestatem Ecclesiae in diabolum et angelos ejus collatam patefaciunt. Quum rite eis adhibitis infernus contremiscat, sollicite cavendum est, ne inane reddantur spectaculum, de quo aemulationem Dei secundum scientiam habentes doleant, et impii aut levioris ingenii homines cavillentur: quod facile evenire posset, si in mulierem hysterico malolaborantem aut in quemcunque naturali morbo detentum praepropero consilio proferrentur. Nullus ergo qualiscunque sacerdos audeat, eos, quos energumenos judicet, exorcismis adjurare, nisi ab Episcopo dioecesano facultatem scripto exaratam acceperit.

[1]) Apocal. 20, 2. 3.

Caput XI.

De Jejunii ecclesiastici praecepto.

Dominus praedixit, fore, ut discipuli ejus, postquam sponsus ablatus sit, jejunarent[1]). Ut magistri verba opere implerentur, Apostoli et qui Apostolis praedicantibus crediderunt, sanctis studiis egerunt. Ne fervor remitteret, legis ecclesiasticae sanctio accessit. Nostris temporibus dispensationibus indulgenter concessis antiquior jejuniorum rigor ita temperatus est, ut ex pia corporis afflictione parum remaneat. Attamen vel in minimis jucundi aut commodi quidpiam Dei intuitu sibi negare animum confirmat et ad patriam, quam in coelis habemus, erigit; nihil tam exile haberi, a quo Dei intuitu abstinere nimium non videatur, fidei emortuae documentum est. Igitur praecepto Ecclesiae meritum obedientiae ac sui abnegationis populo Christiano lucrandum proponitur; attamen majorem quoque dignitatem temporum ratio jejunii ecclesiastici observantiae addit; fidei Catholicae professio est, cui se subducere nemo tutum censeat memor Domini dicentis: „Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est“[2]). Haec parochi et confessarii fidelibus opportunis commonitionibus ante oculos ponant, ut eos pudeat, escam corruptibilem animae suae saluti et Dei honori anteponere.

Caput XII.

De Propagationis fidei auxiliis.

Quum occultis Dei, qui abyssum intuetur, judiciis tot supersint gentes in tenebris et in umbra mortis sedentes, eximium caritatis fraternae opus est, nomen, in quo nos salvos fieri oportet, eisdem annuntiare. Non longe ab apostolico hoc munere abest labor eorum, qui Catholicis inter populos acatholicos agentibus verbum et mysteria Dei dispensant. Cum igitur

[1]) Matth. 9, 15.
[2]) Matth. 10, 32.

beneficio divino in confessione verae fidei nati et omnibus salutis operandae mediis locupletati simus, ut Jesu Christo in iis, pro quibus mortuus est, gratiarum quidpiam rependamus, de fratribus morti secundae eripiendis pia sollicitudine cogitemus. Qui vocati non sunt, ut ad fidei propagationem laboribus suis conferant, eam eleemosynis saltem promoveant. Si eleemosyna pane egentibus data animam a morte liberat et non sinit eam ire in tenebras, quanta erunt praemia eleemosynae propter Christi amorem erogatae, ut panis vitae aeternae Christum nescientibus frangatur!

Sunt, qui sancto operi invidiam concitaturi multis commemorent, quot apud nos pauperes, quot ecclesiarum indigentiae habeantur. Hoc autem non dicunt, quis pauperum vel ecclesiarum utilitas tanto eis cordi est; nam magni quid se peregisse autumant, si his rebus micas de eorum mensis cadentes impenderint; sed quia de Dei honore et beneficii, quo ad fidem vocamur, magnitudine parum curant. Ubi caritas diffusa in cordibus nostris usque ad eos, qui longe sunt, fratres pertingit, multiplicabit quoque auxilia fratribus nobiscum degentibus in temporalibus et spiritualibus administranda. Dilatentur spatia caritatis et ejus efficacia crescet.

In provincia Viennensi Antistitum mandatis stabilitum est, ut die S. Leopoldo sacru pro missionibus Americae septemtrionalis et in hebdomada majore pro terra sancta in omnibus ecclesiis collectio fiat. Synodus congregata in nomine Ipsius, qui omnes homines salvos esse vult, sanctam hanc ordinationem confirmat et parochis praecipit, ut, antequam eleemosynae colligantur, populum de operis, in cujus societatem vocatur, dignitate instituant et commoneant. Praeterea in festo Epiphaniae Domini, quo gentium et nostram ad fidem vocationem celebramus, vel alio die secundum Antistitis dioecesani arbitrium ad succurrendum missionibus per Orientem dispositis collecta habeatur. Ceterum, quae ad ista caritatis officia efficacius dirigenda spectant, lege dioecesana ordinabuntur.

Caput XIII.

De Vita religiosa.

Sapientia aeterna adolescenti, quid adhuc ipsi desit, quaerenti dixit: „Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me!"[1]) Et cum Spiritus Sanctus effusus esset, ut renovaret faciem terrae, et Apostoli virtute magna testimonium redderent resurrectionis Domini nostri, qui credebant, possessiones et substantias vendebant et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat[2]). Hac doctrina imbuti et his exemplis formati erant sancti et Deo placabiles viri, qui vitam religiosam instituerunt trium votorum fundamento superstruetam. Disciplinae regularis professione animoque alumni non tantum voluptatibus et bonis hujus mundi se abdicant, sed etiam ipsam ea habendi spem et voluntatem exuunt, ut aeterna gaudia securius sperent; proprio judicio et sensui renunciant, praepositis in cunctis, quae legi divinae non adversantur, perfectam obedientiam exhibentes, ut Deum ducem habere plenius confidant. Intima et suorum et sui abnegatio vitae religiosae adinstar animae corpus animantis et regentis est, et quidquid decoris et meriti habet, ab ipsa defluit. Haec hominis de se mundoque victoria mirabilis est Spiritus Sancti operatio, mirabilior poenitentiae operibus, quae ad ipsam conservandam et perficiendam ordinantur et ideo, quia fructus ejus, sacrificium sunt acceptabile coram oculis Domini. Sui abnegationis afflatu vita religiosa vivum et vivificum documentum est fidei, quae in coelis habitat, et amoris, qui regnum mundi et omnem ornatum saeculi contemnit, atque animi concupiscentia majoris exemplo infirmos erigit, desides excitat, carni servientes pudore suffundit, non raro et fidem negantes percellit. Ipsa insuper potens est in omni operatione, qua Deus coram hominibus glorificatur, et Filio Dei misericordiae officia in cohaeredibus exhibentur. Qui praeter Deum nihil quaerunt, expeditiores sunt ad fratrum necessita-

[1]) Matth. 19, 21.
[2]) Act. 2, 44. 45.

tibus subveniendum, et incensi caritate, quam auro et argento pretiosiorem esse, etiam operum exteriorum argumento probatur, unitisque per obedientiae legem viribus majora facile efficiunt, quam homines, quibus pecuniae et honoris stimulos addere oportet. Opes autem, quas communitas tenet, paupertatis religiosae instituto in egenorum auxilia piosque omnes et ecclesiasticos usus mirifice multiplicantur, non absimiles quinque panibus, quibus Dominus populum ad ipsum confluentem aluit. Quapropter insipiens erat sapientia eorum, qui sacrae et profanae reipublicae utilitatem praetexentes, regulares parochiali animarum curae, juventutis institutioni et aegrotorum levamini ita dicatos vellent, ut omnibus, quibus vitae regularis spiritus nutritur et confirmatur, internecinum bellum indicerent. Alimentis subtractis flamma decrescit et extinguitur.

Ecclesia Christi sponsa inter praecipua ornamenta, quibus ad nuptias Agni se praeparat[3]), vitam vere religiosam nunquam non retulit, et ejus patrocinium eximia cura suscepit. Ecclesiae menti et mandatis insistens, imo Jesu Christi ipsius monitis obtemperans Concilium hoc in Jesu Christo congregatum vitam religiosam, qualem Jesus Christus adumbravit et Ecclesia commendat et propagat, ipsum quoque commendat et nihil, quod ad eam tuendum pro re nata conducere possit, negligendum esse decernit.

Quo majori quis caritate Regi, qui sedebit super sedem majestatis suae, conjunctus existit, eo uberiori fructu etiam in infirmis et in carceribus justa licet sententia detentis eundem Regem visitabit. Synodus itaque adplaudit piis Augustissimi Imperatoris studiis, quibus effectum est, ut ad curam habendum carceribus detentorum nec non in nosocomiis publicis decumbentium, sorores, quas misericordiae dicunt, aliaeque congregationes caritate Christi conspicuae multis in locis adscitae fuerint; desiderat, ut sacrorum Antistites opus salutare, quantum res sinat, foveant et protegant, atque Patrem misericordiarum incrementa largiturum sperat.

[3]) Apocal. 19, 7.

Caput XIV.

De Sepultura ecclesiastica.

Ecclesia eos, qui in carne viventes beneficiorum ejus consortes fuerunt, etiam postquam ad Dominum migraverint, officiis suis prosequitur. Fidelium in communione ecclesiastica defunctorum corpora ritibus sacris in loco sacro conduntur, usque dum resurgant ad vitam, quae finem non habet. Catechumeni, qui, dum ad Baptismi gratiam animum pararent, ex hac vita vocati sunt, sepultura ecclesiastica efferantur; hos enim Baptismate flaminis renatos esse merito praesumitur; neque sepultura separari debent, qui fide et caritate nobis conjuncti erant. Infans in utero matris fidelis simul cum ea defunctus, simul cum ea sepulcrum habeat.

A sepultura ecclesiastica arceantur oportet infideles, haeresi aut schismate ab Ecclesia alieni, excommunicati notorii et vitandi, parvuli etiam ex parentibus fidelibus oriundi, qui sine Baptismate defuncti sunt, nec non, qui mentis compotes mortem sibi ipsi consciverunt, nisi forsan aliquo tempore superstites tanti piaculi poenitentia tacti fuerint. Ubi medici censuerint, hominem morbo laboravisse rationis usum praepediente, eorum judicio standum erit, ni circumstantiae, ex quibus eum mentis compotem fuisse merito colligeretur, plene probatae essent. Prudente obversante dubio funus ecclesiastico quidem ritu, sed omni majori apparatu secluso terrae mandetur.

Sepultura ecclesiastica pariter denegetur eis, qui in actu duelli vel in alio peccato gravi et notorio decesserint, nec aliquod resipiscentiae signum dederint, vel, qui imminentis sibi mortis conscii extrema Ecclesiae Sacramenta ipsis oblata praefracte ac coram testibus respuerint; iis praeterea, de quibus publice constet, quod non susceperint semel in anno Sacramenta Confessionis et Communionis et absque ullo contritionis signo obierint.

Parochi, qui ab Antistitis dioecesani sede haud ultra quatuor milliaria absunt, a sepultura ecclesiastica neminem repellant, nisi Antistes vel ejus Vicarius

generalis rem probaverit. Ceteri recurrant ad Decanos rurales. Poterit tamen Episcopus pro rerum adjunctis totum negotium ad se vocare.

Caput XV.

De Coemeteriis.

Coemeterium Christi fidelium sepulturis destinatum Episcopi vel presbyteri ab eo delegati benedictione initiandum est: quo facto loci religiosi rationem habet et ecclesiastico juri subest.

Convenit, ut in quovis coemeterio sacellum adsit decenter instructum, ubi pro animabus fidelium, quorum corpora ibi locorum tubam mire sonaturam expectant, hostia propitiatoria statis temporibus offeratur. Crucifixi certe imago in coemeterii medio emineat. Ceterum cuncta in eo munda, decora, gravia. Ut in horti modum componatur, non toleretur. Loci non est, oculis vanam aliquam vitae virentis speciem obtendere, sed mentem erigere ad Regem, cui omnia vivunt.

Funera eorum, quibus sepultura ecclesiastica deneganda est, terrae ita mandentur, ut a loco sepulturis ecclesiasticis destinato sive reservato aut muro aut sepe separata sint. Campanae sonitum non edant; parochi et ejus adjutores nec sine vestibus sacris adsint.

Sepultura notoria hominis infidelis seu excommunicati notorii et vitandi coemeterium polluitur; pollutum cadavere, si a fidelium funeribus distingui possit, semoto reconciliandum est. Aliorum, quibus sepultura ecclesiastica negari debet, humatione utcunque illicita coemeterium non polluitur.

Caput XVI.

De Pietate erga defunctos.

Qui mortui sunt oculis nostris, nisi lethali culpa polluti decesserint, vivunt Domino nobisque fide et caritate conjuncti manent. Suffragiis suis nos juvant,

ad Deum videndum nondum admissi, ut suffragiis nostris juventur, expectant. Nunquam fiat, ut nos ipsis deesse sentiant. Non lacrimas, sed bonorum operum auxilia a nobis postulant. Ab ipsis Apostolis sancitum est, ut in venerandis tremendisque mysteriis defunctorum agatur commemoratio [1]). Quum in fide adhuc ambulemus, nostra est hostia divina, si nihil haesitantes et in caritate fundati eam Patri omnipotenti offerimus. Pretium infinitum, quo mundus redemtus est, pro defunctorum debitis oratione fidei solvamus et rore coelesti perfundentur. Preces, eleemosynam, alia bona opera addamus.

Parochi et omnes Verbi divini praecones, nec non religionis magistri frequenter suis exponant, quam salubris et sancta sit cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur [2]). Beneplacita est in conspectu Dei, qui amat, quos cruciat. Salubris est animabus peccata luentibus, quoniam liberatio eorum acceleratur; salubris est nobis, quoniam pio affectu eis impenso judicis, qui ultimum quadrantem exigit, memoria nutritur et peccati etiam venialis horror vel excitatur vel adaugetur.

Ubi sacellum in coemeterio adsit, parochus in eo aliquoties per annum licentia ab Episcopo obtenta Missae Sacrificium pro defunctis celebret.

In die commemorationis omnium defunctorum parochus, nisi tempestas immitior obstet, non facile omittat in coemeterio ipso concionem ad populum habere. Si circumdantibus eum mortuorum exuviis de certissimo rerum humanarum exitu, de peccato, de pietate erga defunctos verba faciat, animos facilius et gravius commovebit.

Conservetur et propagetur laudabilis usus precibus, quae in memoriam Incarnationis Domini ter quotidie recitantur, orationem Dominicam et salutationem angelicam defunctorum levamini dicatam adjiciendi.

[1]) S. Chrysost. homil. 3. in ep. ad Philipp. n. 4.

[2]) II. Macchab. 12, 46.

Titulus V.

De Clericorum vita et profectu spirituali.

Caput I.

De vitae Sanctimonia Clericis sectanda.

Militum Christi pugna et victoria est servare periturum [1]). Attamen, qui neminem vult perire, eis propriam quoque ipsorum animam et eam primo loco salvandam commisit. Si quis (avertat tantam Misericordia aeterna ruinam!) animam suam perdiderit, etiamsi Ischariotis adinstar in Jesu Christi nomine multas fecisset virtutes, Ischariotis adinstar lucum habebit inter eos, quibus Dominus in secundo suo adventu dicet: „Quia nunquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem“ [2]). Studia autem, quae ad nos ipsos sanctificandos conferimus, etiam fratrum saluti impendimus. Artem artium, regimen animarum [3]) non callet, cujus cor Spiritus Sanctus non urit. Parum prosunt verba eorum, qui, quod praedicant, moribus impugnant, et pastorem per abrupta gradientem grex pro humanarum rerum conditione ad praecipitium facile sequitur [4]).

Sacerdos Dei ita vivat, prout eos, qui quotidie communicandi desiderium ei panderent, ipse vivere juberet. Neminem fugere potest, justissimam hanc legem esse, et ex suo ipsius ore judicandum, qui eam sequi nolit. Ceterum omnem peccati maculam fugere et omni bono operi adlaborare nihil est, quod non cuivis in Deum et vitam aeternam credenti recta ratio

[1]) Lact. instit. VI, 11.

[2]) Matth. 7, 23.

[3]) S. Greg. M. reg. pastor. I., 1. cf. S. Gregor. Nazianz. orat. II. n. 16.

[4]) S. Greg. M. reg. pastor. I., 2.

dictet. Qui firma fide tenet, gloriae vel poenae aeternitatem a labili hac vita pendere, aut sibi ipse inimicus sit, aut cuncta ita instituat oportet, ut comparet thesaurum oculis carnis absconditum.

Etsi ex nobis quasi ex nobis nihil, quod ad salutem vitae aeternae pertinet [5]), cogitare vel agere possimus, Deus tamen sine nobis salvos nos et sanctos facere non vult. Omnia, quibus regimur, divina mandata comprehenduntur Verbo Domini commonentia: „Praebe, fili mi, cor tuum mihi“ [6])! Nostra autem super terram militia eo absolvitur, ut resistamus tentationi rebus labilibus impendendi affectus cordis, quod ut ipsi praebeamus, Dominus postulat. Ne in vanum curramus, audiamus Magistrum et Salvatorem nostrum dicentem: „Qui vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me“ [7]). Omnibus et singulis, qui Christum sequi et cum Christo esse volunt, constitutum est, ut abnegent semetipsos. Quamvis abnegatio sui, quae amorem Dei non augeat in cordibus nostris, genuina minime censenda sit, neque tamen verus est Dei amor, qui ad nostri nos abnegationem non impellit.

Caput II.

De Ascesi.

Nonnulli, cum Ecclesiam contemni, religionem oppugnari et communia ipsa veri rectique principia concuti viderent, satis superque esse crediderunt, ea, quae de fide sint, retinere et tamquam retinenda defendere; in aliis multis genio saeculi indulgendum esse, non dubitaverunt; ascesin tenebris medii aevi remittendam esse decreverunt. Cum autem eadem persistat corona juste decertantibus reposita eademque naturae humanae conditio, eadem proinde ascesis recte intellectae necessitas adesse pergit. „Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam“ [1]). Nisi hanc

[5]) S. Conc. Araus. II., c. 7.

[6]) Proverb. 23, 26.

[7]) Matth. 16, 24.

[1]) Joan. 6, 64.

regulam teneamus, neque coelestia, neque terrena intelligemus. Res corporales medii ad finem ordinati rationem habent. Ad sensus et affectus nostros eliciendos concurrunt; concurrunt autem secundum mutuam earum relationem a Deo Creatore stabilitam. Vaticana S. Petri basilica, cujus ornatissima moles ad sublimiorum sensa spectatorem excitat, ei, qui corpus humano nostro centies majus haberet, crepundiorum elegantium loco esset. Quodsi autem res corporales, quaecunque existunt, omnes eadem, quae nunc est, proportione accurate servata centies seu millies majores aut minores redderentur, nihil, quod nostra interesset, quomodocunque mutaretur, quoniam rerum corporalium ad animi sensus et affectus relatio intacta persisteret: unde permutationem aliquam contigisse ne animadvertere quidem possemus. Qui mente haec paulum revolvere velit, percipiet, quanta veritate propheta dicat: „Ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae reputatae sunt, ecce insulae quasi pulvis exiguus [2]). Idcirco res corporales in se consideratae ad virtutum et meritorum augmenta nihil referunt, sed influxus, quem in animam imagine divina Angelis supparem exercent, totus pendet ab earum relatione ad corpus, quod cum in rerum corporalium complexu tamquam una ex iis locum suum occupat, animae simul ut actuum et sensuum ejus instrumentum mediumque inservit. Haec retineamus oportet, ubi agitur de abnegationis ac poenitentiae exercitiis, quae corporis cultum rerumque corporalium usum attinent. Utcunque difficile sit, abnegationis spiritu S. Hilarionem aequare, fieri tamen potest, ut largiente Domino, cujus manus abbreviata non est, nostrum aliquis eo eluctetur, licet nullatenus fieri possit, ut eodem ac sanctus eremita habitaculo, victu, vestitu utatur. Igitur minime negandum est, media, quae ascesis in rem suam adhibet, temporum et locorum ratione in multis temperari; finis autem, cui ascesis inservit, cunctis, qui thesaurum gratiae in vasis fictilibus portant, quovis loco et tempore communis esse debet. Omnis

---

[2]) Isai. 40, 15.

Christi fidelis pro conditione status, in quo Deo vocante Deo famulatur, habitus corporalis et aliarum circumstantiarum ad abnegationem sui humiliter et constanter tendere tenetur. Qui laborem refugit, in mentem revocet, regnum coeli vim pati et violentos rapere illud[3]).

Ceterum Spiritus divinus spiritus discretionis est. Contemnendi sunt, qui omne opus, intensiora pietatis studia referens, superlationis titulo traducunt. Aut animi a fide aversi sunt aut exempla timent, quibus ipsorum desidia arguitur. Neque Dei amor, qui supremus esse debet, nimius esse potest. Attamen etiam in poenitentiae et devotionis exercitiis homo se ipsum quaerere potest et quidem eo majori periculo, quo sanctior res peragitur. Quapropter, qui in Domino profecturi sunt, moderatoris conscientiae diligenter seligendi consilia magni faciant et fructus, quos pia ipsorum exercitia ferant, distriete examinent. Fructus Spiritus sunt caritas, patientia, benignitas, mansuetudo, modestia[4]).

Caput III.

De Vita contemplativa et activa.

Quum Maria Verbi divini dulcedine detenta ad Domini pedes consideret, Ipse, qui veritas et vita est, de ea dixit: „Optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea“[1]). Dominum quaesivit; nisi Dominum teneret, nihil sibi invenisse visa est. Jesum quaerenti Coelites apparuere, verum suavis Angelorum affatus et mirus splendor non commovit animum Regem Angelorum desiderantem. Retrorsum conversa est, dilecti sui corpus plorans circumspexit. Sed et Martha, quae satagebat circa frequens ministerium, sancta erat et magna coram Deo: nam Unigenitum Patris eam dilexisse, Joannes Apostolus nobis auctor est[2]). Igitur si Deus et Redemtor noster aliquem vocare dignetur, qui

[3]) Matth. 11, 12.
[4]) Galat. 5, 22. 23.
[1]) Luc. 10, 42.
[2]) Joan. 11, 5.

cum Maria caritatis Mariae aemulus ad pedes ejus sedeat, optimam huic partem cessisse confitemur; imo deprecationibus et obsecrationibus Ecclesiae magis, quam alii frequentissimo ministerio prodesse potest. Deus enim virum quaerit, qui interponat sepem et stet oppositus contra ipsum pro terra, ne dissipet eam, et utinam inveniat![3]) Nos autem, quos Dei Filius ad gregis sui curam agendam segregare voluit, ita cum Martha ei ministremus, ut cum Martha ab eo diligi mereamur.

Caput IV.

De Meditatione.

Licet vitam activam sequens mediationi tantum temporis, quantum contemplativam professus, impendere minime possit, nec ipse tamen unquam obliviscatur, meditationem esse fontem irriguum, qui in corde nostro ascendat oportet, ut fructus salutis ferat. Prout visibilibus, de quibus curamus, oculos animumque intendimus, ita, qui in divinorum intellectu et amore profecturus est, in ea mentis aciem convertat necesse est. Optima certe et Deo acceptissima oratio est muneris sui partes ita explere, ut Domino servire et ei soli placere connitamur. Ut autem animi intentio in omni operis externi varietate apud Dominum maneat, quem apud nos gratia sua manere optamus, egregia quidem sed ardua quoque res est, cui peragendae impares sumus, nisi, quae implicite semper tenere debemus, frequenter menti explicite proponamus et ad animi sensus dirigendos adhibeamus. Praeterea meditatio orationem mentalem, in quam assurgit, et nutrit et perficit; qui autem orationem mentalem negligit, neque verbis conceptam rite persolvere sufficit. Nemo nescit, verbum, quod cum hominibus loquentes proferimus, cogitationes sensusque nostros exprimere debere. Hoc ipsum praestet oratio ad Deum directa. Vix autem fieri potest, ut verborum labiis efformatorum sensui cogitatio

[3]) Ezech. 22, 30.

et affectus respondeat, nisi coelestia meditatione assidua ponderare assueverimus.

Precationum verbis efformatarum praestantissimae sunt eae, quas in sancto Missae Sacrificio et in horarum canonicarum persolutione enuntiamus. Non ipsi eas selegimus, sed Deus eas per Ecclesiae ministerium nobis suggerit, et sensuum, quos foveamus, exemplar statuit. Si cuncta, quae in Sacrificii oblatione et horis canonicis lingua effert, intimo corde desideramus et tenemus, quotidianam habemus spiritus renovationem, qua agente quotidie sapientia secundum Deum et Spiritus Sancti gratia augebimur. Ne tanto careamus bono, thesaurum sensus, quem verba usu trita contegunt, meditationis clave recludere satagamus.

Maxime salutaris est meditatio, quae vitae et passioni Domini nostri impenditur. Omnia et singula, quae Verbum caro factum egit et pertulit, mysteria sunt sanctissima, in quae Angeli prospicere desiderant, et pretia redemtionis pignoraque haereditatis nostrae. Jesus dulcissimus a praesepi, in quo Virgo mater eum reclinavit, usque dum clarificaretur claritate, quam habuit, antequam mundus esset, magister et dux noster est et sacerdus secundum ordinem Melchisedech. Dei formam servi induti vestigia frequenti meditatione sequamur et cum matre amoris fonte juxta crucem stare adamemus, donec ad magnalia Ejus propius contemplanda matre deprecante accedamus.

Ad bene meditandum vires nobis, si bonae voluntatis simus, addet Filius Dei, qui sacra Communione quotidie nobiscum esse dignatur. Nunquam ejus memoria a sacerdotibus ejus recedat. Quamdiu altius ascendit sol corporis oculis conspicuus, pie recolant memoriam Solis justitiae, qui ad ipsos descendere voluit; quando ad occasum vergit, mentis aciem intendant in beneficium altero mane renovandum; quod quidem egregie eos juvabit ad omne opus pium strenue exequendum et omnem peccati maculam sollicite effugiendam.

Caput V.

De Horis canonicis.

Cum Ecclesia Dominum et Apostolos ejus secuta omnes fideles admoneat, ut orationibus et obsecrationibus instent, Clericis in majoribus constitutis, utpote in opus Domini segregatis, insuper praecipit, ut officium divinum quotidie devote persolvant. Hoc munere fungentes non privato, sed Ecclesiae nomine agunt: a qua deputati divinae se Majestati tamquam deprecatores pro populo sistunt, et in laudibus Omnipotenti reddendis angelicis consociantur choris. Itaque breviarium recitare haud parvam rem esse ducant et magnam adhibeant diligentiam, ne in externis decus vel in corde devotio absit. Ii, quibus in choro psallendum est, laudem Domino devote graviterque annuntient et voce, vultu, corporis situ animum exprimant ad eam, quae sursum est, Jerusalem erectum. Ceteri horas canonicas inspecto directorio decenti loco decentique corporis situ dicant. Omnes autem naviter studeant, ut ea, quae labia proferunt, mentis cogitatione et animi affectu prosequantur. „Si orat psalmus, orate, et si gemit, gemite, et si gratulatur, gaudete, et si sperat, sperate, et si timet, timete" [1]). Ad hanc breviarium recitandi perfectionem omnes constanter, humiliter, pie annitantur oportet. Lumen supernum petant; animum non despondeant; quantumvis mens evagetur, breviarium male non dixerunt, quamdiu bene orandi studia non remiserint. Perseverantibus profectum dabit Ipse, ex quo sufficientia nostra est.

Ad horas canonicas recitandas clerici in sacris ordinibus constituti, personae religiosae ad chorum destinatae nec non beneficiati omnes sub gravis culpae reatu tenentur; beneficiati insuper post sex a beneficio adepto menses ejusdem fructus pro rata omissionis officii et temporis suos non faciant, sed eos tamquam injuste perceptos in beneficii fabricas seu pauperum usus erogare obligantur.

---

[1]) S. Augustin. in ps. 30. enarrat. IV. n. 1.

Caput VI.

De Conversationis sacerdotalis Honestate.

Vita Clericorum liber est laicorum. Itaque sicut S. Chrysostomus monet: „Sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, ac si in coelis inter illas potestates esset collocatus. Neutiquam possunt sacerdotum vitia latere, sed etiam exigua cito conspicua sunt. Quemadmodum ipsorum praeclara gesta multis prosunt ad simile studium evocantia, sic et eorum vitia alios ad virtutum exercitia segniores efficiunt et ad bonorum operum laborem torpere faciunt: quamobrem animae ejus pulchritudinem splendere oportet, ut spectatorum animos oblectare simul et illustrare possit“ [1]). Haec est hominis in statu naturae lapsae conditio, ut ad ea, quae sensibus corporis grata sunt, cordis affectus inclinet, etsi hunc potius affectum quam sensum a corporis ratione pendentem quaerimus, unde non desunt exempla, vitae taedio captos fuisse homines bona valetudine utentes et omnibus, quae mundus anhelare solet, bonis affluentes. Dispensator mysteriorum Dei nunquam patiatur, ipsum sicut illos, qui spem non habent, fallaci quadam et cito transitura gaudii umbra decipi et a via arcta deduci.

Victum cultumque corporis ad valetudinem referendum esse et ad vires, non ad voluptatem, vel gentiles cordatiores ultro fatebantur [2]). Sanctus Paulus omnes fideles admonet: „Ebrietates, comessationes et his similia, quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur“ [3]). De viris autem ecclesiasticis S. Petrus Chrysologus dicit: „Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium; quia alter animam suam necat vino, sacerdos spiritum sanctitatis exstinguit“ [4]). Quomodo vino vespere sopitus altero mane ad mensam immaculati Agni accedere audeat! Praeterea in vino luxuriam esse, et Verbum Dei et experientia abunde docet.

---

[1]) S. Joann. Chrysost. de sacerd. III. 4 et 14.
[2]) Cicero de off. I, 116.
[3]) Galat. 5, 21.
[4]) S. Chrysolog. serm. 26.

Praeclara et quasi coelestis virtus est castitas, quae mundum de immundo, de hoste domesticum, angelum de homine facit, quae sola in hoc mortalitatis loco et tempore statum quemdam immortalis gloriae repraesentat, moremque beatae illius vindicat regionis, in qua neque nubent, neque nubentur[5]). Attamen quo magis illibata castitatis puritas virum ecclesiasticum exornat, eo miserius ea violata corruit.

Sacerdotem non tantum malum, sed etiam mali speciem fugere decet. A frequentiori consortio mulierum etiam earum, quae pietatis et modestiae laude non immerito potiuntur, penitus abstineat. Ancillae, quibus ad res domesticas procurandas indiget, maturioris sint aetatis et integerrimae famae, castae, sobriae, subditae, ut, qui ex adverso est, revereatur nihil habens dicere malum; ut sumtuosius vestiantur vel choreas frequentent, non toleret. Quidquid familiarius commercium redolet, id longe absit. Ancillam commensalem non habeat, neque cum ea deambulet, vel aliorum domus adeat, aut eodem vehiculo, nisi forsan publico, vehatur. Ut rebus, quae ad eam non pertinent, se immisceat vel dominatricis partes sibi arroget, minime patiatur. Actum est de auctoritate parochi, quem sui a mulieris imperiosa voluntate pendere autumant. Neque foeminis consanguineis aliquid indulgendum, quod domum sacerdotalem dedeceat, aut negotiorum ecclesiasticorum ordinem perturbet.

Caput VII.

De mentis Relaxatione.

Quum cogitationem ad pietatis exercitia sive negotia sine ulla remissione intendere humanas vix non superet vires, mentis relaxationem interponere licet: quam si eo animo adhibeamus, ut ad servitium Deo et Ecclesiae praestandum alacriores efficiamur, opus bonum et meritorium coram Domino peragimus. Intentio animae corporisque vires in honorem Dei instaurandi nobilitat omnia, quae justae et decorae

[5]) S. Bernard. ep. 24.

oblectationi inservire possunt, simul tamen ea arcet, quae ministerio sacro fungentibus minus decora sunt, prohibetque, ne in licitis moderamen finis ratione dictatum negligatur, aut rebus in se futilibus nimius cordis affectus impendatur.

Si Clericus cartis pictis ludere amet, modum in omnibus servet; Dominicis vero festisque diebus ante officium vespertinum in ecclesia persolutum ludo non indulgeat, nec eum sub ullo praetextu in multam noctem protrahat.

Theatrorum publicorum ludi scenici non infrequenter ii sunt, quos vitare oportet, ne auditus vel obtutus sacris mysteriis deputatus turpium spectaculorum atque verborum contagione polluatur; saepissime ea exhibent, quibus delectari viros in sortem Domini vocatos dedecet. Itaque a quarto reparatae salutis saeculo ad hodierna usque tempora plurima Conciliorum decreta Clericos a theatrorum frequentatione prohibuerunt. Quin etiam saecularium oculos offendit, sacerdotes et maxime eos, qui in animarum cura laborant vel regularis vitae disciplinae adscripti sunt, in theatris, aliisque spectaculorum publicorum locis conspicere, et in Archidioecesi Viennensi dudum presbyteris confessiones audiendi facultas non conceditur, quin eis lex a theatris et spectaculis publicis abstinendi scripto simul imponatur. Quapropter praesens Concilium in Domino congregatum decernit, sacerdotibus, qui facultatem Poenitentiae Sacramentum administrandi habent, aut Theologiam seu religionis doctrinam docent, nec non regularibus cunctis a theatrorum publicorum spectaculis omnino abstinendum esse. De aliis viris ecclesiasticis Antistites, prout in Domino expedire judicent, lege dioecesana constituant.

Omnes ecclesiastici viri choreis interesse caveant, et si unquam contingeret, ut eorum quemdam in choreis saltare non puderet, poenis condignis coërcendus foret.

Tabernas sive cauponas recreationis ergo non accedant; cibum ibi potumve non capiant, nisi necessitas urgeat, praecipue cum in itinere constituti aliam refectionis opportunitatem non habent.

Sacerdos cum saecularibus, qui ad coenam, cartarum ludum aut alias recreationes Clericis non illicitas conveniunt, societatem neque nimis frequenter, neque sine magna circumspectione jungat, nunquam autem, etiamsi locus omnino decens et homines honestissimi sint, mediam usque noctem vel ultra eandem se detineri patiatur. Non obliviscatur suum esse, ut vespere ad sacram Communionem mane suscipiendam animum paret; praeterea, quamvis confidamus, non haberi inter nostros sacerdotem, qui jejunium Angelorum pani praemittendum violare audeat, tamen vel levissima tanti piaculi suspicio fugienda est. Si autem accideret, ut sacerdotibus ad animum relaxandum coëuntibus compotationes et lusus mediam usque noctem, imo longius protraherentur, pessimum et prorsus intolerabile scandalum esset.

Quamvis venatio molestiis non careat, facile tamen eam exercentium animum ita detinet, ut studio feras per silvas camposque insequendi per integros dies indulgeant. Haec sacerdotem, qui rebus divinis vacare debet, parum decent, et ut muneri sacro desit, saepissime ansam praebent. Praeterea ubi venationes majori cum apparatu instituuntur, non raro interveniunt, quae a modestia clericali abhorrent, praesertim cum laboribus exantlatis se recreant. Neque convenit, ut sacerdotes armis tractandis gaudeant, a quibus praeter necessitatis casum gestandis etiam Clerici in minoribus constituti arcentur. Canones igitur Clericos omnes et tanto magis regulares a venatione clamorosa prohibent; quietam, quae sine strepitu laqueis et retibus fit, non nimis frequentatam eisdem permittunt. Praesens autem Synodus conversationis sacerdotalis decorem ita vindicatura, ut tolerandis parcat, cunctis sacerdotibus, qui animarum curam agunt, aut Theologiam tradunt sive religionis doctrinam publice docent, omnino interdicit, ne venationibus intersint, quae confluente hominum turba instituuntur. Si eorum aliquem vel solum vel cum uno alterove amico ambulantem delectet, avem feramve ictu appetere, intra debitae moderationis limites consistat, eis enim neglectis res intolerabilis redderetur. Alios Clericos et tanto magis regulares, ut qui

sanctius vitae institutum profitentur, graviter dehortatur, ne se immisceant venationibus, quae confluente hominum turba instituuntur, vel alias quascunque ita tractent, ut status vel officii sui rationem negligant. Dominicis autem festivisque diebus viri ecclesiastici cuncti ab omni cujusvis generis venatione, ne aucupio quidem excepto, abstineant; decet enim, eos in festorum dierum sanctificatione saecularibus exemplo praelucere. Miserrima esset res, si populo ad ecclesiam undique confluente sacerdotes ad silvas properarent. Ceterum eo de negotio statutis dioecesanis provideatur.

Caput VIII.

De Vestitu Clericorum.

Cum a Concilio Tridentino Episcoporum judicio statuendum permittatur, quaenam vestis ecclesiasticorum ordini et dignitati conveniat, prout Benedictus XIV. verissime notat, fere omnia, quae post Tridentinum celebrata sunt, Concilia Clericos ad gestandam vestem talarem adegerunt [1]). Quorum vestigiis ingressa Synodus haec in Domino congregata Sacerdotes et Clericos omnes admonet, virorum ecclesiasticorum, quibus habitus religiosus deferendus non est, indumentum proprium vestem talarem esse. Hanc absque rationabili quadam caussa non deponant. Quodsi ad deambulandum seu viam longiorem conficiendam brevioribus utantur vestimentis, nigra haec vel saltem subobscura sint et ad modestiam omnino composita. Quidcunque scandalo possit esse populo fideli, vel ad saecularium morem propius accedat, sollicite vitare oportet: unde in hac provincia nulli, cujuscunque sit ordinis seu conditionis, viro ecclesiastico fas est, femoralibus uti super caligas ad pedes usque demissis. Tonsuram clericalem et collare nunquam non retineant.

Regulares vestem religiosam juxta regulae, cui nomen dederunt, praescriptiones fideliter gerant, neque praeter casus in regula praevisos deponant.

[1]) Bened. XIV. de Syn. Dioec. XI. c. 8. n. 1. 3.

Caput IX.

De Exercitiis spiritualibus.

Quamvis sacerdos a divinorum meditatione nunquam recedere debeat, plurimum tamen juvat, ut singulis annis aliquos seligat dies, quibus interrupto vitae consuetae cursu veritatum aeternarum considerationi totus vacet et eas ex ordine recolens auxiliante silentio ad pietatis studia incendenda majori cum fructu adhibeat. His absolvuntur exercitia sacra, quae, utpote omnibus vitae spiritualis magistris nunquam non probatissima, S. Ignatius non adinvenit, sed in formam efficacissimam redegit et egregie promovit. Utilitatem, quam sacerdotibus afferunt, Clemens XI. his descripsit verbis: „Cum diuturna experientia compertum sit, ad retinendam, conservandamque sacerdotalis ordinis dignitatem et sanctimoniam magnopere conducere, ut ecclesiastici viri exercitiis aliquando vacent, quibus, quidquid sordium de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur vel confirmatur" [1]). Ne tanta nostris beneficia desint, hac in provincia quotannis haberi solent exercitia sacra sacerdotibus recreandis destinata: quod ut diligenter retineatur, Synodus haec in Domino congregata desiderat et statuit; imo pro dioecesium ambitu necessarium esse decernit, ut, ubi locus opportunus haberi possit, bis singulis annis instituantur. Sacerdotes autem magno studio confluant et Spiritui Sancto cordis templum sedulo parent, ut apud eos habitationem faciat et prout aquilae renovetur juventus eorum.

[1]) Clem. XI. Litt. Apost. 1. Febr. 1710. Bened. XIV. institut. eccl. 51.

Titulus VI.

De Seminariis Scholisque.

Caput I.

De Seminariis juxta sanctiones Tridentinas moderandis.

Dominus, qui Moysi praecepit, ut septuaginta viros de universo Israël in adjutorium suum eligeret, atque Apostolis Filii sui comites addidit, quibus illi orbem totum secundis praedicationibus impleverunt, Episcopis quoque sequentis ordinis viros adjungit, quibus adjutoribus usi populi multitudinem pascant et gubernent. Presbyteros numero et virtute abundantes non habebimus, nisi Dominus messis eos mittat. Ut eos mittat, instanti deprecatione exorandus, ast oratio operum quoque accessione fulcienda est. Ideirco Synodus haec in Domino congregata exoptat et statuit, ut seminaria, quae sapientissima Patrum Tridentinorum decreta excitaverunt, summis curis conserventur, excolantur et Ecclesiae ad mentem in omnibus singulisque disponantur.

Quum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possidest, nunquam perfecte ac sine maximo et singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret [1]), sancta et universalis Synodus decrevit, ut in seminarium pueri reciperentur, quorum indoles et voluntas spem afferret, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inserviturus [2]); quae quidem magni consilii institutio temporum nostrorum ratione singulari quodam

[1]) Concil. Trident. Sess. 23. de Reform. c. 18.

[2]) Ibid.

et eminenti modo commendatur. Quum autem in provincia Viennensi loca seminariis ex antiquo addicta non ea essent, quae praeter alumnos Theologiae studentes etiam pueros humanioribus litteris erudiendos continerent, seminaria, quae puerorum dicunt, in seminarii majoris supplementum erecta sunt. Ut ea magno studio augeantur et excolantur, Synodus praesens constituit.

Quum creatura rationalis intellectu et voluntate quasi alis, quibus sursum elevetur, instructa sit, in presbytero doctrina et pietas requiritur. Doctrina absque pietate parum ei prodest; attamen pietas sincera non est, nisi ipsum impellat ad progrediendum in omni doctrina, qua munus sacrum obeunti opus est. Haec perpendant et ut regulam certissimam teneant, qui sacerdotii candidatos moderantur. Nihil omittatur, quo seminariorum alumni ad Dei amorem et profectus spiritualis desiderium efformentur; exercitia pietatis, quae mentem alunt et attollunt, scientiae requisitae culturam non impediunt, sed ejus fructus multiplicant. Discretio tamen, animas regentis nobilissima virtus, nullibi desideretur; praecipue in puerorum seminario sollicite adhibeatur. Animi juveniles magna cum patientia et comitate tractandi et sensim sensimque ad altiora studia erigendi sunt.

Caput II.

De Cursus theologici quadriennio.

Quemadmodum providus belli dux pro hostium, quibuscum decertandum est, conditione arma parat et aciem pro locorum ratione instruit, ita et illi faciant, quos duces Dominus posuit in proeliis ipsius proeliandis. Ideo in disponendis disciplinis, quibus militiae clericalis tirones imbuuntur, temporum et locorum ratio diligentissime habenda est. Non parum interest inter aevum, quo regem legendi et scribendi apprime gnarum esse mirabantur, et hoc nostrum, quo mulierem ruricolam legendi imperitam esse vix non mirantur; quamvis dilatata notionum multitudo profundioribus rerum praestantissimarum studiis parum profuit. Dede-

cet, altaris ministrum ignarum esse eorum, quae inter laicos cultiores nemo nescit: quocirca ad studia theologica ii solummodo admittantur, qui gymnasii tam superioris quam inferioris cursum sufficienti cum profectu absolverint.

Disciplinis theologicis per quatuor annos incumbendum est. Eisdem studentes, quantum fieri potest, omnes in seminario episcopali degant.

Praelectiones theologicae exceptis iis, quae doctrinam pastoralem, catecheticam et eloquentiam sacram attinent, sermone latino habendae sunt.

In amplissimo Theologiae thesauro plurima sunt reposita, quorum scientia sacerdotem ornat et juvat. Quadriennio autem juvenibus ad munia ecclesiastica efformandis statuto utilia necessariis cedant oportet.

Omnium primum est, ut sacerdos fidem, quam ovibus boni pastoris nomine praedicare debet, explicite et adcurate noverit. Summa igitur cura adhibenda est, ut alumni fidei dogmata iisdem, quibus ab Ecclesia definita sunt, verbis memoriae alte imprimant; praeterea, quae fidei proxima, quae scholarum disputationibus relicta sint, probe noscant. Sint ista prout petra, super quam vir sapiens domum suam aedificavit; et cetera ita superstruantur, ut invicem se illustrent et ad salutarem fidei intelligentiam excolendam efficaciter opem ferant.

Episcopis Germaniae fidei depositum per tria et amplius saecula adversus protestantes, ex centum circiter annis etiam contra fidem negantes tuendum est. Multi habentur errores et pessima praejudicia, quae ita pervulgata sunt, ut eorum vestigia etiam libris auctorum, quorum institutum a religionis rebus prorsus alienum videtur, frequentissime inhaereant, et quidem majori multorum periculo, quam quod falsitatis praeconia magnis voluminibus ex professo proposita Catholicis parare solent. Tot igitur tentationum laqueis undique dispositis Clerici juniores efformandi sunt ad superandas insidias, a quibus neque ipsi neque plebes ab eis aliquando pascendae omnino praeservari possunt. Fallaciae, quarum ope fides in Deum et Christum oppugnatur, detegendae et hoc ipso ad nihilum redi-

gendae sunt. Sagaci tamen delectu et provida oeconomia opus est. Cum quovis obscuro scriptore de antiquis commentis, quae parum mutata profert, fuse lateque digladiari, tempus terere et discipulorum mentem turbare magis, quam erudire esset. Ad errorum radices descendendum est: quod et temporis et efficacitatis magnum erit compendium. Hoc veritatem tuendi munus et in dogmatibus explanandis et in aliis disciplinis theologicis scite ac naviter sustinendum est.

Prudentissimo consilio institutum est, ut octavo cursus gymnasialis anno rerum Christianarum historia adolescentium usibus accommodata traderetur. Innumerae et passim vulgatissimae sunt calumniae, que ex historiae depravatione in Ecclesiam Catholicam adornatae fuerunt: unde plurimum conducit, ut juvenum animi adversus commenta illa veritatis expositione muniantur, antequam ex studiorum humaniorum disciplina dimittantur. His ita compositis Theologiae tirones in historia ecclesiastica minime rudes sunt, et iis primo Theologiae anno eadem circiter, quae vix lingua germanica audierant, sermone latino exponere parum utilitatis haberet. Quamobrem historia ecclesiastica ad tertium theologici cursus annum transferatur et ita componatur, ut Theologia dogmatica eam auxiliatricem et supplementum habeat. Ex abundanti rerum gestarum copia ea potissimum seligantur, quae ad fidei dogmata illustranda faciunt. Si errores et effugia, quibus definitiones dogmaticae oppositae sunt, accurate noscantur, quaenam in eis ferendis Ecclesiae mens fuerit, apertius patet, verborum vis intimius percipitur, consimiles a vero aberrationes facilius deteguntur et refelluntur.

Magnam affert utilitatem, si professor dogmaticae semel in hebdomade disputationes habeat, quibus anni secundi, tertii et quarti auditores assistant. In quantum admittendi sint, qui rebus sacris primo anno student, seminarii rector communicatis cum professore consiliis decernet. Ubi plures habentur Theologiae dogmaticae professores, plures institui poterunt disputationes, quarum unam saltem quilibet auditorum praedictorum frequentet. Ea res Deo pro-

pitio intensiora eruditionis sacrae studia egregie promovebit.

Studia biblica primo et secundo anno locum retineant. Introductio in Scripturam sacram praemittatur. Grammaticae hebraicae rudimenta exponantur. Exegesi sacrae Scripturae secundum Vulgatam accedat textus hebraici et graeci explanatio, cui quantum temporis dicandum sit, Antistes constituet. Non justo plus insistatur rebus, quae, licet utilitate non careant, injuria tamen occupant tempus, quod aliis utilitate longe potioribus debetur. In explicatione eorum, quae ad fidei dogmata probanda et illustranda conducunt, peculiaris cura ponatur.

Ut alumni aliquam habeant sanctorum Patrum praelibationem et de divitiis scientiae et aedificationis in iisdem reconditis tempestive admoneantur, semel saltem in hebdomade convenientibus cunctis Theologiae auditoribus per horae unius spatium selecta sanctorum Patrum opera legantur, et quae difficultatem creare possint, paucis exponantur.

Quoniam cum professoribus Theologiae dogmaticae specialiter deputatis viri, qui Scripturam sacram et historiam ecclesiasticam docent, ad fidei doctrinam explanandam et defendendam operam jungere debent, consilia inter se conferant, ne eadem res paucis mutatis a pluribus discutiatur et tempus, quod in discipulorum utilitatem studiose redimendum est, minus utiliter impendatur.

In Theologia morali systematis ratio non negligenda et pro temporum conditione allaborandum est, ut resecentur radices errorum, quibus vitae Christianae principia pessumdantur. Attamen haec ita pertractentur, ut casuisticae nihil detrahatur. Sana ratio et usus ad conscientiae casus probe dijudicandos multum valent; sed in difficilioribus rebus saepe fallunt confessarios, qui in eis nimium confidunt. Temerarium est, ubi de aeterna fratrum salute agitur, negligere auxilia, quae ex laboribus tot virorum pietate, doctrina et experientia insignium hauriri possunt. Ceterum Theologia moralis tertio anno consuetum locum occupet, novem quavis septimana horis tradenda.

Quartum in annum Theologia pastoralis sensu strictiori talis, disciplina catechetica et institutiones juris canonici transferendae sunt. Accedat eloquentia sacra et rituum sacrorum expositio, ita tamen, ut neutra hujus anni limitibus restringatur. Parum prodest, eloquentiae theoriam exhibere, nisi frequentioribus adumbretur exemplis. Perutile erit, quavis septimana unam ad minimum statuere horam, qua alumnis omnibus congregatis declamationes habeantur et presbyteratus candidati ad conciones graviter et devote enuntiandas exemplo et exercitatione efformentur. Neque nimium habeatur, eosdem ad preces publicas rite pronuntiandas instituere; nihil enim negligendum est, quod cultus divini decus attinet, et quamvis facile sit, simplicissimam, quae in eis requiritur, vocis modulationem recte assequi, experientia tamen docet, nonnullos, nisi opportune hac de re moneantur, defectum usu confirmatum difficile corrigere.

Caput III.

De profundioribus disciplinarum theologicarum Studiis.

Quamquam sacrorum Antistites omnes nervos intendere debeant, ut animarum curam gesturi scitu necessariis diligentissime imbuantur, in eo tamen gradum sistere non decet. Providendum insuper, ne desint viri, qui ingenio et doctrina potiores ad rerum divinarum scientiam excolendam concurrere atque religionis causam adversus inimicos crucis Christi tueri queant; agendum insuper, ut praesto sint, qui solida et accurata juris canonici cognitione instructi in caussis ecclesiasticis pertractandis utilem operam navare possint.

Quantum circumstantiae sinant, procurandum est, ut in usum alumnorum, qui ingenio et assiduitate excellunt, instituantur lectiones extraordinariae, quibus nonnulla capita rerum, quas cum ceteris audierant, penitius eis explanentur. Hac ratione non tantum cognitionibus augebuntur, sed etiam exactioris eruditionis specimen et incitamentum aliquod habebunt. Multum

quoque juvabit, si ejusmodi juvenes praecipua metaphysices et philosophiae moralis systemata edocebuntur, ita ut ostendatur, quam parum sanae rationi satisfaciant, quae cum fide in Deum verum et caritatis lege, mandatorum divinorum compendio, nullatenus consistere possunt.

Attamen quantacunque cura et sollertia quadriennium theologicum disponatur, ne ad viros doctos efformandos sufficiat, rei natura prohibet. Itaque Antistites eligant juvenes dotibus eminentes, qui, postquam consuetum studiorum cursum absolverint, disciplinis theologicis vel juri canonico tres sive quatuor annos impendant. Habentur in Viennensi studiorum Universitate viri, qui magistros se ducesque ipsis exhibere paratissimi et dignissimi sunt. Prout ignis lucet et ardet, ita, ubi Spiritus Sancti gratia abundantius diffunditur, cum caritatis ardore scientiae lux habetur; Sanctis redundabat aetas, quam praeclarissima Ecclesiae lumina exornabant, et intensioribus pietatis studiis, quae S. Franciscus, homo vere Seraphicus, et S. Dominicus, vir apostolicus, late incenderunt, accessit scientiae splendor per orbem Christianum coruscans. Quapropter Concilium hoc in Jesu Christi nomine congregatum omnem quidem spem in Paracleto collocat, quem Jesus Christus nobis misit, vult autem et decernit, ut, quemadmodum nihil, quod caritati, ita nec aliquid, quod scientiae augendae prosit, negligatur sive omittatur.

Philosophiam, quae nomen habens et rem sincere sapientiam diligit, Ecclesia non improbat, sed approbat et in veritatis divinae illustrationem ac defensionem impendit. Ad fideles confirmandum et verecundiam afferendum blasphemantibus, quae ignorant, multum prodest, ut Christi ministri in omnibus disciplinis, quae ad credenda et diligenda referuntur, principatum teneant. Bonum et optimum opus est, doctrina ore scriptisque tradita prospicere, ne homines inanibus deludantur verbis et falsi nominis scientia a Deo, imo et a solida et recta humanarum rerum intelligentia abstrahantur. Pro temporum nostrorum ratione excellens haec et Deo, qui neminem vult perire, ac-

ceptissima praedicatio est. Modo caveant, qui fluctibus falsae philosophiae imperare conantur, ne ab eorum impetu ipsi abripiantur; et quo altius ascendere debet scientiae aedificatio, eo profundius fodiatur humilitatis et devotionis fundamentum.

Multifariam utilis est peritia linguarum, quibus Deus ad genus humanum erudiendum primitus uti voluit. Ad graecam aditus facile patet. Sed et optandum est, ut nulli nostrarum dioecesium desit unus alterve vir linguae hebraicae apprime gnarus. Ad solidam hebraicae cognitionem non emerget, qui in syriaca, chaldaica et arabica hospes est; arabicae quantae sint difficultates, novit, quicunque idiomatibus illis vel leviter tinctus. Quum igitur de longo labore patienter tolerando agatur, consultum erit, unum alterumve sacerdotem juniorem, qui his in rebus versari delectetur, ad linguarum orientalium studia segregare.

Caput IV.

De Theologiae Professoribus in Seminario episcopali constituendis.

Quum juxta Ecclesiae mentem et leges in deligendis viris, quibus munus parochiale conferatur, multa cura et cautio adhibenda sit, aequum est, ut in constituendis magistris, quorum lectionibus efformentur Clerici juniores, munus aliquando parochiale aliasque ministerii sacri partes expleturi, neque cura neque cautio desideretur. Nemo igitur ad Theologiam docendam assumatur, nisi ejus idoneitas, quo meliori fieri possit modo, diligenter explorata fuerit; inter idoneos magis idoneus eligatur.

Vacante quadam instituti theologici dioecesani cathedra, omnium, qui ipsa fungi desiderant, concursus publicus per totam dioecesim indicatur, nisi vir suppetat, qui fide et conversatione irreprehensibilis, scriptis editis vel professoris Theologiae partibus laudabiliter jam expletis scientiae probationes exhibeat, quae examinis cujusdam successu luculentiores et certiores existunt; tali enim Episcopus audita professorum Theologiae sententia etiam absque concursu docendi munus conferre potest.

Concurrentes statuto die in conclavi eodem omnes congregati iisdem interrogationibus omnibus eodem tempore proponendis scripto elucubrato satisfaciant, Theologiae professoribus examini accurate invigilantibus.

Interrogationes Episcopus assignat. De concurrentium scriptionibus tam instituti theologici, ubi cathedra vacat, quam alterius cujusdam professores sententiam dicant.

Si competitorum aliquis scriptis, quae elucubraverit, vel laudabili opera, quam Theologiae professoris munere functus navaverit, idoneitatem plene probaverit, Episcopus ei examinis hujus subeundi onus remittat.

Praeterea concurrentes omnes coram professoribus Theologiae et viro ab Antistite specialiter deputando de disciplina, cujus magisterium ambiunt, lectionem habeant. Eximantur tamen viri, de quibus, cum docendi munus jam sustinuerint, constat, sufficientem dicendi facultatem iis non deesse.

Si sacerdos praesto sit, qui scriptoris quidem laude careat, neque inter Theologiae professores locum habeat, ast alumnis erudiendis, cum eorum studia dirigeret, lectiones eis haberet, sive Theologiae professores suppleret, utilem jam et probatam operam contulerit, Episcopus cathedram vacantem provisorio ei modo demandare, et postquam magisterii partes per integrum annum laudabiliter expleverit, ipsum ad idoneitatis examen ea, quae superius exposita est, ratione subeundum admittere potest.

Episcopus de viro, cui docendi munus conferre intendit, cum Gubernatore provinciae agat, ut certus sit, Augustissimum Imperatorem contra illum nihil habere circa res politicas [1]).

[1]) Litt. Apostol. 5. Nov. 1855.

Caput V.

De Professoribus facultatum theologicarum.

Juxta tenorem Concordiae inter Sanctam Sedem et Augustissimum Imperatorem initae publici Theologiae professores et disciplinae catecheticae magistri, postquam sacrorum Antistes de candidatorum fide, scientia et pietate sententiam suam exposuerit, nominabuntur ex iis, quibus docendi missionem et auctoritatem conferre paratum se exhibuerit. Ubi autem professorum facultatis theologicae quidam ab Episcopo ad seminarii sui alumnos erudiendos adhiberi solent, in ejusmodi professores nunquam non assumentur viri, quos sacrorum Antistes ad munus praedictum obeundum prae ceteris habiles censuerit. Quando igitur constituendus est facultatis theologicae professor, qui seminarii alumnis ad scientiam theologicam efformandis operam confert, et Episcopus virum, quem scripta edita vel magisterium digne gestum idoneum esse comprobant, praesto habet, audita professorum Theologiae sententia cum summo Majestatis Suae in institutionis publicae rebus Administro eo de negotio aget. Si Episcopus non habeat, quos absque concursu ad magisterium vacans assumi desideret, aut de ejusmodi viri delectu conveniri haud possit, summus in institutionis publicae rebus Administer eorum, qui ad magisterium adspirant, concursum publicum indicit. Interrogationes, quibus satisfaciant oportet, Episcopus designat et summo Administro transmittit. Competitores scientiae periculum facere possunt in omnibus institutis theologicis, ad quae concursus indictio extenditur, et Administro consentiente etiam in aliis. Scriptionibus conficiendis professores Theologiae invigilant. Lectioni a concurrentibus habendae praeter professores vir ab Episcopo designatus interest. Auditis facultatis theologicae, ubi cathedra vacat, et alterius cujusdam professoribus, in consilium quoque vocatis, si Administro sive Antistiti placeat, aliis ecclesiasticis viris scientiae laude pollentibus, a Majestate Sua is nominabitur, quem sacrorum Antistes ad alumnos eru-

diendos prae ceteris habilem judicaverit, modo nihil eidem circa res politicas obstet.

Vacante cathedra facultatis theologicae professoris, cujus opera haud requiritur, ut alumni seminarii juxta normam Augustissimo significatam erudiantur, Antistes, si conveniens esse censeat, de viro sine concursu assumendo cum summo Majestatis Suae Administro agere aut sacerdotem, de quo Administer cogitet, probare potest. Publico autem concursu indicto juxta superius exposita procedetur et nunquam non vir nominabitur, cui docendi missionem et auctoritatem conferre Episcopus paratum se exhibuerit.

Caput VI.

De Collationibus moralibus sive pastoralibus.

Sunt inter saeculares, qui litterarum studiis ita incumbant, ut magis scientiae praesumtionem testimonio quodam stabiliendam, quam scientiam quaerant, et munus aliquod adepti libris lubenter valedicant. Alia sint consilia virorum, quos Dominus ad altaris ministerium et vineae suae curam vocare dignatus est. „Labia enim sacerdotis custodient scientiam" [1]). Quum animarum moderatores respondere debent iis, qui legem exquirunt ex ore ipsorum, et de peccatis remittendis sive retinendis judicare, multa sunt, quae exacte memoria teneant, et mente plene assequantur oportet, ne coeci coecorum ductores fiant. Igitur profundiora quidem scientiae sacrae studia omnem sacerdotem commendant; ipsa autem muneris sacerdotalis ratio prohibet, ne unquam languescant studia rerum, quarum cognitio ad ministerium sacrum pertinet.

Ut sacerdotes ad piam hanc sollicitudinem efficacius excitentur, ex antiqua et perutili institutione vocantur ad congressus, quibus de rebus ad animarum curam pertinentibus praecipue autem de Theologia morum et disciplina sacrorum rituum disseratur: etenim „si lapis ad lapidem concussus scintillas exilire facit, quamvis nihil frigidius lapide, nihilque igne cali-

[1]) Malach 2, 7.

dius, concussio tamen victa natura ignem elicit; quod cum in lapillis contingat, multo magis idem fit in animabus, quae mutuo atteruntur, et igne spiritus coalescunt" [2]). Congressus illi, qui collationes morales seu pastorales vocari solent, frequentissimis Episcoporum mandatis et Synodorum Provincialium decretis commendati atque praescripti sunt; Concilium Provinciale Romanum a Benedicto XIII. celebratum statuit, ut Episcopi curam adhibere non desisterent, usquedum hae collationes rite haberentur et frequentarentur [3]); atque in dioecesi Romana, quae summum Pontificem ipsum Episcupum habet, non tantum diligentissime habentur, sed etiam, ut a moderatoribus animarum frequententur, magno vigore insistitur.

Quum igitur haec Synodus in Domino congregata nihil praetermittendum ducat, quo animarum immortalium saluti provideri possit, constituit et decernit, ut collationes pastorales per totum provinciae ambitum instituantur et debita diligentia habeantur. Antistitum singulorum erit, statutis prospicere, ut conventus hi quam uberrimos fructus ferant.

Caput VII.

De Studiis gymnasialibus.

Quum velle adjaceat nobis, perficere autem bonum, nisi in eo, qui nos confortat, non inveniamus [1]) communis est Adae proli miseria, meliora videre et probare, deteriora sequi. Hac autem tempestate meliorum quoque conscientia in discrimen adducitur, quippe res versatur circa ipsa vitae moderandae principia, quae lex Christiana non sine testimonio animae natura sua quodammodo christianae [2]) enuntiat et sancit. Quum nemo nesciat, altius praecepta descendere, quae teneris imprimuntur aetatibus, mundum ad supernorum contemtum efformaturi nihil non moliuntur, ut adolescen-

---

[2]) S. Chrysost. serm. cont. Anom. XI. n. 4.

[3]) Tit. 15. cap. 9.

[1]) Ad Rom. 7, 18. ad Philipp. 4, 13.

[2]) „O testimonium animae naturaliter Christianae!" Tertull. apologet. II. 17.

tibus sensus a pietate Christiana alienos instillent. Hac in re multa et gravia a studiorum gymnasialium institutione pendent. His enim scholis praeformantur, qui altari aliquando inservient, res civiles administrabunt, magisteria tenebunt, caussas in judiciis agent, artem medicam exercebunt; omnes demum, quibus uberior in aliorum animos agendi facultas erit et copia: unde communis Ecclesiae et reipublicae caussa est, eximia cura cavere, ne litterarum humaniorum disciplinae venena immisceantur. Sapientissime igitur in Concordiae actu sancitum est, ut in gymnasiis et omnibus, quas medias vocant, scholis juventuti Catholicae destinatis institutio ad vitae Christianae legem cordibus inscribendam pro rei, quae tractatur, natura composita sit.

Quamvis Deus justus et fidelis non patiatur, aliquem supra id, quod possit, tentari[3]), ejus tamen, qui tentatione victus perierit, sanguis ab omnibus expetetur, qui homicidae ab initio ministros se praebuerint, vel laboranti, cum potuerint, suppetias ferre neglexerint. Itaque haec Synodus in Jesu Christi nomine congregata non tantum vehementer desiderat, ut providissima illa ordinatio opere salutari usquequaque adimpleatur, sed etiam monet et mandat, ut nihil praetermittatur, quo tanta res ad exitum perduci queat. Excitat sollertiam et assiduitatem virorum, quibus sacrorum Antistites his in negotiis utuntur. Cohortatur et commonet sacerdotes, qui praedictis in scholis religionis doctrinam tradunt, ut omnibus omnia facti adolescentes peramanter instituant et dirigant, errorum semina, quae forsan deprehenderint, tempestive deleant, exercitiis pietatis, quibus insignis cura impendenda est, religionis sensa alant et excolant, atque pro viribus agant, ut condigno Sacramentorum usu discipulis superna accedant auxilia, quibus oculi eorum aperiantur, ut videant, et aures, ut audiant. Ceteros gymnasiorum et scholarum mediarum magistros exorat et in nomine Domini dominantium jubet, ut pro ipsorum doctrina et sollertia impigerrime quidem adolescentes

[3]) Ad Corinth. 10, 13.

erudiant in rebus, quae ad vitae temporalis commoda et ornamenta pertinent; quum enim lex divina perfectos nos esse velit, sicuti Pater noster coelestis perfectus est, cuncta, quae officii nostri ratio postulat, quam perfectissime explere debemus; ut autem nihil unquam immisceant, quod levioris ingenii juvenes in contemtum rerum divinarum interpretari possint, sed institutiones pro argumenti, quod tractant, natura ad legem Christianam cordibus inscribendam candide componant. Qua de re, cum Catholici omnes et eruditi viri sint, Synodus non modicam habet spem: nam etiam litterarum studia plenius exhausta religionis cultum confirmant magis, quam infirmant, nisi quis in magistrorum quorumdam verba jurans praejudiciis, quae mentem exoecant, mancipium se addixerit.

Viri, quorum nonnullis satis ampla doctrina non deerat, ipso litterarum humaniorum nomine in rei Christianae invidiam abusi sunt, quasi ipsarum beneficio adolescentes homines esse discerent, gentilium exemplo a fanaticis, quae homine majora peterent, studiis avocati et ad ea, quae hominem deceant et juvent, instituti. Haec inter calumnias rejicienda sunt, quibus freti in Christum Domini et ipsam rerum supernarum conscientiam insurgunt. Multa profecto et non contemnenda sunt, ad quae Graecorum et Romanorum scripta probe utentem efformare possunt. Non minima ars est, sermonis ordinem ita texere, ut ex verbis in pulchritudinis formam compositis cogitationes et sensus quasi ex speculo reluceant. De rebus humanis viri illi plurima dixerunt, quae utinam ponderare et sequi velint improbi eorum laudatores. Insuper apud eos non pauca reperiuntur, quae insigne sunt documentum mentis humanae in ipsis idololatriae tenebris auctorem suum quaerentis, animae immortalis, quae ex sopore superstitionis et concupiscentiae quodammodo expergefacta ad altiorum rerum sensus emersit. Hisce ad juvenes erudiendos uti, bonum et laudabile est: unde multi viri ecclesiastici iique religione conspicui de humanioribus litteris excolendis egregie meriti sunt. Haec autem ipsa studia pessumdant, qui iis in veritatis aeternae contemtum abutuntur. Rerum et monumentorum

antiquorum intelligentiam non assequuntur et ne alii assequantur, impediunt, opprimentes eam conjecturarum licentia, quae eruditionis molem inconditam reddit.

Qui fidei lumine collustratus divina novit, quasi in fastigio constitutus, res humanas respicit et doctis sagacibusque viris per devia errantibus regiam viam facile tenet. Hanc sequantur litterarum humaniorum magistri, ut discipulorum profectui et saluti consulatur atque veritati, quam scientia ducem profitetur, honor suus illibatus maneat.

Caput VIII.

De Scholis elementaribus.

Scholae elementares Catholicis destinatae, quae parochiae ambitu continentur, universae parochi directioni et inspectioni subsunt. Quantum poterit, annitatur, ut in publicis privatisque scholis puerorum animi non tantum rerum utilium notionibus augeantur et fidei rudimentis imbuantur, sed etiam totius instituti ratione ad religionis cultum et conscientiae sanctitatem efformentur. Magnae hac in re ludimagistrorum partes sunt. Nihil in schola, nihil extra eamdem verbis proferant, quod veritati et pietati Christianae consonum non sit. Verbis exempla addant, in conversatione irreprehensibiles, in domo Dei devoti, in Sacramentorum usu frequentes. Parocho ludimagister multum cordi sit. Est ex ovibus Christi ei concreditis, est in parvulis Christi erudiendis adjutor quodammodo ministerii sacri. Comiter et benigne cum eo agat, patienter, prudenter, indefesse eum dirigat, instituat sive corrigat. Quando in aliquo muneri suo deerit, non statim de eo desperandum. Si autem is esset, qui scandala daret, nihil tolerandum, nihil dissimulandum foret. Caveat praesertim parochus, ne remissius agat, quando ludimagistrum vel adjutores ejus divina despectui habere vel zizania errorum in agro Domini disseminare sentiat. Hac in re, cujus rara apud nos exempla sunt, eo majori vigore opus est, quo pejor instaret rerum sacrarum et profanarum clades, si venena, quae ab urbibus depelli

nequeunt, longe lateque regiones inficerent. Valde proderit, rurieolarum filios, qui vegetiori pollent indole et in scholis elementaribus prae eeteris eminuere, ad ludimagistri munus efformare. Suis sufficient et contenti apud suos vivent.

In scholis moderandis parochus, quae potestas civilis de rebus profanis pueris tradendis constituit, adcurate observet.

Presbyter adjutor, cui parochus catecheses habendi partes demandat, ejus in schola regenda vices ita agat, ut omnia, quae majora vel difficiliora occurrunt, ad eumdem referat.

Caput IX.

De Fidei Rudimentis in Scholis elementaribus tradendis.

Cum hortorum cultores floribus plantisque novellis multum curae laborisque impendant, Dei Redemtoris ministri curis non parcant et laboribus, ut novella Ecclesiae germina ex aqua et Spiritu Sancto regenerata commoneant atque erudiant et in omnem salutarem doctrinam inducant. Quocirca sacerdotes, qui rudimenta fidei in scholis elementaribus docent, hanc Christum praedicandi missionem religiosa assiduitate exequantur.

Benedictus XIV. de catechismis sapientissime pro more edixit: „Nihil uniformitate optabilius, nihil ad praecavendos, qui in multiplicem catechismorum varietatem irrepere possunt, errores conducibilius atque opportunius, quam ut unus idemque modus in docendo et discendo Christianam doctrinam ab omnibus teneatur" [1]). Et Sanctissimus Pater Pius IX. Litteris Apostolicis, quas 5. Novembris 1855 ad Cardinales, Archiepiscopos et Episcopos Imperii Austriaci dedit, eosdem admonuit, oportere, ut in primordiorum scholis ii ad catechesim tradendam adhibeantur libri, quibus juventus unam eandemque addiscat doctrinam, atque ut nulla unquam quoad libros ipsos fiat immutatio, nisi gravis adsit caussa et collatis semper inter Anti-

[1]) Bened. XIV. constit. Etsi minime.

stites consiliis. Quapropter praesens Synodus in nomine Ejus, qui parvulos ad se venire jussit, congregata statuit et praecipit, ut per totam provinciam Viennensem parochi et omnes sacerdotes, quibus Antistes dioecesanus doctrinam religionis tradendi facultatem fecit, in scholis elementaribus tam publicis quam privatis unice adhibeant catechismum ad compendii Canisiani normam compositum et in nostris aliisque partibus populo usu diuturno familiarem, quem piae memoriae Christophorus Cardinalis Migazzi, Archiepiscopus quondam Viennensis, edidit et postremo Eminentissimus Metropolita paucis quibusdam restitutis sive additis adprobavit. Alios libros doctrinam Christianam exponentes, qui auctores habent ingenio et religione eximios, in suam ipsorum eruditionem utiliter convertere poterunt, in scholis vero eorum nullum nullo sub praetextu adhibeant. Catechismus dioecesanus populo Catholico mysteriorum et mandatorum Dei breviculum sit oportet; et quamvis valde laudandi sint, qui postmodum uberiores doctrinae sacrae fontes quaerunt, plurimi tamen interest, ut firmum et stabile fundamentum ponatur: unde sollicite vitandum est, ne pueri animis expressionum varietate distractis nihil ex doctrina Christiana retineant, quam nutantes aliquas et diffluentes notionum umbras.

Igitur cuncti, quibus catechesis habenda est, insistant et urgeant, ut pueri puellaeque catechismi verba memoriae adcurate imprimant: qui quando id praestiterint, in vitae dies thesaurum scientiae salutis alta mente reconditum habebunt. Idem tamen rerum divinarum summarium, quam optime possint, enucleare et illustrare nitantur. Usitata et pueris congruentia saepe repetere non fastidiant [2]), parvuli facti in medio eorum, tamquam si nutrix foveat filios suos [3]). Contemperare studeant sermonem pro captu eorum, quorum animas ad Deum pertrahere volunt, et quamvis opus sit balbutire modo nutricum et matrum bleso ore sermonem cum parvulis

---

[2]) S. August. de catechiz. rud. n. 17.

[3]) I. Thessal. 2, 7.

dimidiantium, dummodo sic intelligatur illud, quod dicere volumus, satis est [4]).

Praeterea parochi et omnes animarum moderatores parentes saepe graviterque moneant, liberos ipsis a Deo traditos esse, ut non tantum corpus alant, sed etiam animae curam agant, et eo majori quidem studio, quo majoris est pretii. Nullum subterfugiant laborem, ut eos a prima aetate ad religionis cultum et cordis puritatem verbo et opere instituant. Praeveniatur anima a Deo et pro Deo creata in ipsa intelligentiae aurora monitis salutis; cito occupetur divinis, ne subintrent mundus et diabolus, quibus in Baptismate renuntiavit.

[4]) Jo. Gerson tract. de parvul. trahend. ad Christ. proleg.

Titulus VII.

De Beneficiis Bonisque ecclesiasticis.

Caput I.

De Beneficiorum natura et collatione.

Aequum est, ut, qui altari inservit, de altari vivat. Quondam omnes Ecclesiae per dioecesim possessiones et proventus commune aliquod aerarium efficiebant, ex quo Episcopus Clericorum, ecclesiarum et pauperum necessitatibus providebat. Postmodum in Clericorum sustentationem praebendae constitutae et cum certis officiis ecclesiasticis in perpetuum conjunctae sunt. Praebenda (vel beneficio sensu strictiori tali) et officio absolvitur beneficium ecclesiasticum. Beneficia vere talia seu titularia Clerico ita conferuntur, ut invito etiam, postquam ad officium peragendum inhabilis effectus sit, aliter quam in delieti poenam et sententia in forma juris lata auferri nequeant. Si autem officium circa animarum curam versatur, beneficiarius eidem explendo impar adigi potest et debet, ut ex beneficii fructibus, in quantum sufficiant, officii provisorem alat. Beneficia manualia eadem adeptis ex caussa, quam Antistes coram Deo sufficientem judicat, sine forma judicii subtrahi possunt.

Temporalia percipiendi jus beneficio contentum propter officium spirituale, cui annexum est, constituitur et confertur. Cum igitur saeculares officia spiritualia neque instituere, neque eorum peragendorum jus et auctoritatem in aliquem transferre possint, beneficia erigendi et conferendi jus ad potestatem ecclesiasticam spectat. Patronorum est, collatori Clericum dotibus necessariis praeditum praesentare, minime autem beneficium conferre.

Caput II.

De Concursu parochiali.

Quum plurimum intersit, ut ad munus parochiale eorum, qui haberi possint, optimus eligatur, Concordiae actu sancitum est, ut parochiis omnibus publico indicto concursu et servatis Concilii Tridentini praescriptionibus provideatur[1]). Patres Tridentini eam statuerunt concursui parochiali legem, ut omnes, qui descripti fuerint, ab Episcopo sive ejus Vicario generali atque ab aliis examinatoribus non paucioribus quam tribus examinarentur quoad aetatem, mores, doctrinam, prudentiam et alias res ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunas[2]). Quum autem in dioecesibus late patentibus frequenter accidat, ut parochiae vacent atque competentium numerus satis magnus esse soleat, difficillimum est, scientiae examen ea, qua par est, diligentia in ipsius concursus tempore peragere, nisi collatio parochiarum differatur ita, ut bis aut ter in anno concursus habeatur pro omnibus, quae intermedio tempore vacaverint, beneficiis parochialibus. Attamen expedit, ut parochiis rectore destitutis omni abscissa mora provideatur: quamobrem in provincia Viennensi ex longissimo tempore institutum est, ut scientiam eorum, qui ad parochias adspirarent, explorandi ergo bis quotannis examina haberentur, et qui in iisdem satisfecerint, per sexennium ad munus parochiale adipiscendum quoad scientiam habiles censerentur, aliae vero, quae attendendae sunt, res ad ipsum pro paroebia vacante concursum remitterentur; quae quidem a Patrum Tridentinorum mente minime discrepare videntur.

Igitur Sanctissimus Pater provinciae hujus Antistitibus in decennium benigne concessit, ut vigentem in dioecesibus eorum praxim exercere pergant, habendi scilicet bis in anno examina pro approbandis quoad scientiam sacerdotibus, qui parochorum munere fungi velint. Admittendi dotibus praediti esse debent, quas sacri canones et lex dioecesana postulant. Quaestiones,

[1]) Art. 26.

[2]) Sess. 24. cap. 18. de Reform.

quibus tum voce, tum scripto respondendum erit, ab examinatoribus synodalibus vel prosynodalibus proponentur ita, ut, prout hucusque factum est, dogmatica positiva, Theologia moralis et jus canonicum positivum primas partes teneant. Si approbati post sex abhinc annos beneficium parochiale petituri sint, praedicto examini denuo se sistant oportet. Ab hac tamen lege Episcopus audita examinatorum sententia eximere poterit ecclesiasticos viros, qui in praesentia inter synodales vel prosynodales examinatores adsciti sunt, aut propter muneris sive beneficii, quo fruuntur, dignitatem vel propter di rnam operam, qua Ecclesiae cum laude servierunt, scientiae requisitae probationem satis superque exhibeant. Ceterum beneficio quodam parochiali vacante concursus juxta leges Tridentinas habebitur, examinatoribus adhibita ea, quae in usu est, cautione judicantibus, quinam ex competitoribus parochia vacante digni sint, et servato semper Antistiti jure inter competitores, qui idonei reperti sunt, eum eligendi, quem ipse magis idoneum in Domino censuerit.

Quo major est concursus parochialis utilitas, eo diligentius observanda sunt, quae instituti integritatem et efficaciam concernunt: igitur praesens Synodus in Domino congregata desiderat et constituit, ut concursus parochialis juxta Patrum Tridentinorum decreta et intra facultatum Apostolicarum terminos eximia accuratione habeatur. Quum autem juxta easdem Tridentinas sanctiones Synodo Provinciali liceat, si qua circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere[3]), Concilium hoc nonnulla, quae ad rei profectum conducere possunt, ordinanda censet et ordinat.

Ad scientiae tentamen accessus pateat omnibus sacerdotibus fide ac moribus integris, qui per triennium animarum curae laudabilem operam impenderint, vel ex quinque saltem annis facultate confessiones audiendi polleant.

Prout semper in hac provincia observatum fuit, ita et imposterum quaestiones et casus, de quibus

³) Sess. 24. cap. 18.

scripto respondendum est, cunctis concurrentibus iidem eodem tempore dictentur, omnibus pariter idem eodem tempore textus Evangelii tradatur, super quo dicendi facultatem probaturi scribant. Conclave clausum teneatur. Ante examinis finem nemini aditus, nemini praeter necessitatis casum exitus pateat[4]).

Interrogationes non extendantur ad ea, quae parochus absque ullo muneris pastoralis praejudicio nescire potest; magno autem agatur vigore, ut omnibus et singulis ad parochiam adspirantibus persuasum sit, parocho necessaria ignorantibus idoneitatis testimonia non esse speranda.

In examinis loco Scripturae sacrae vulgatae editionis, Concilii Tridentini et Corporis juris canonici exemplaria concurrentium in usum praesto sint. Quominus libros sive scripta consulant vel aliorum auxilio in respondendo utantur, ipsa finis ratio prohibet; ut ejusmodi fraudes summa vigilantia arceantur, justitia districte postulat. Iniquissimum foret, si sacerdos scientia, quam tenet, competitore major eodem coram examinatoribus minor adpareret, quoniam ipse ex memoriae penu cuncta depromserat, alter fasciculum clam allatum vel acceptum adhibuerat. Sperat Synodus, fore, ut cunctos provinciae Viennensis presbyteros talis rei pudeat; si quis de ea unquam cogitaret, admonitus esto, ipsum conscientiae suae labem inferre et dolo detecto ab examine ut indignum repellendum esse.

Si parochiae conditio ea sit, ut peculiarem rectoris habilitatem requirat, Antistiti liberum est, competitorem, qui in generali tentamine ab examinatoribus idoneus repertus fuerit, in ipso pro parochia vacante concursu iterato scientiae examini subjicere, quod et ipsum juxta praescriptiones Tridentinas ab Episcopo aut ejus Vicario generali et tribus ad minimum examinatoribus synodalibus aut prosynodalibus habendum erit. Fieri posset, ut concurrens omnino sciret, quae plebi saltus incolenti sufficerent, parum autem Ecclesiae prodesset, si in magna civitate aut in loco acatholicis frequenti munus parochiale gereret.

[4]) Bened. XIV. „Quum illud." §. 7.

Quum facile contingat, ut Episcopo tamquam in specula constituto subditorum excessus examinatoribus ignoti patescant, facultate pollet, propter morum defectum rejiciendi competitorem, quem examinatores moribus idoneum judicaverint [5]).

Regulares, qui parochias domibus religiosis incorporatas administrant, populo Catholico omnia curae paruchialis officia exhibere debent: unde omnibus, quae in parocho requirantur, dutibus instructi sint oportet; qua de re in provincia Viennensi eo religiosius vigilandum est, quo majorem continet numerum parochiarum regularium domibus incorporatarum. Igitur regulares ad parochiae incorporatae administrationem deputandi scientiae requisitae tentamen, cui etiam secundum sanctiones Tridentinas subjiciendi sunt [6]), in examine bis quotannis habendo eadem plane ratione, ac parochiarum saecularium candidati faciant.

Caput III.

De Bonorum ecclesiasticorum Usu.

Omnes, quotquot bonis temporalibus potiuntur, villici sunt Altissimi villicationis rationem districte ab eis exacturi, omnesque ipsa prudentia jubet, ea, quae breves domini possident, convertere in thesauros sine fine mansuros. Peculiari autem et sanctissima obligatione tenentur, qui beneficiis ecclesiasticis perfruuntur. Christus Dominus, qui in terris ambulans permisit, ut sanctae mulieres de suis ipsi facultatibus ministrarent, ad dexteram Patris sedens per Ecclesiae ministerium suscipere dignatur dona a fidelibus ipsi oblata. Christo dantur, quaecunque ad peccata redimenda et rem Christianam augendam institutis et beneficiis ecclesiasticis tribuuntur: unde bona ecclesiastica, res Dei, peculium Christi, pretium appretiati a filiis Israël recte adpellantur. Nec minori jure peculium pauperum dicuntur; Dominus enim, qui apud nos manens voluit, ut pecuniis in loculos ejus missis egeni recrearentur, eamdem ad Patrem redux legem statuit loculos ejus

[5]) Bened. XIV. „Quum illud.“ § 14.

[6]) Sess. 25. de regular. cap. 11.

portantibus, id est, bona ecclesiastica tenentibus. Absit, ut, quod Christi est, avaritiae, luxuriae, vel carni et sanguini inserviat. Quamvis ergo Clericus saecularis, quem paupertatis votum non constringit, beneficii fructuum juste perceptorum dominus non immerito censetur, tamen, quidquid ex eis post sustentationem statui congruam supersit, id Christo in Ecclesia et pauperibus reddat oportet. Quocirca haec Synodus in Jesu Christo congregata beneficiatos omnes memores esse jubet, quod sanctissima constringantur obligatione, fructus beneficii, in quantum ad sustentationem ordini eorum respondentem necessarii non sint, divini cultus augmentis, Ecclesiae utilitati pauperumque necessitatibus religiose impendendi. Consanguineis, si pauperes sint, ut pauperibus subveniant, sed caveant, ne eosdem reditibus ecclesiasticis augeant. De famulis et ancillis audientes sint verbi Dei praecipientis: „Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat" [1]). Mercedem servitiis eorum debitam debito tempore accurate persolvant et nullo modo neque depositi titulo et ipsis famulis petentibus retineant. Domesticorum curam paterno affectu habere sacerdoti sanctum sit; inter eos, quos retributione justa defraudavisse ad coelum clamat, principem occupant locum. Vicissim indecorum plane, ut sacerdos ancillae aeris alieni nomine devinciatur; non raro evenit, ut hac ratione in servitutem ordine suo indignam redigatur, et praescindendum est, quodcunque ansam praebere possit.

Caput IV.

De Testamentis Clericorum.

Antiquissimo Ecclesiae jure statutum est, ut bona, quae beneficiarius ex reditibus ecclesiasticis acquisierat, post ejus mortem ad ecclesiam redirent: unde Clerici, ne de iis ultima voluntate disponerent, omnino prohibebantur. Postea iis concessum est, ut

[1]) Tob. 4, 15.

de bonis ex beneficii fructibus comparatis ad pias caussas testarentur. Quum autem saepe valde arduum existat, Clericorum bona Ecclesiae debita a patrimonialibus et iisdem aequiparandis judicis humani sententia segregare, in multis orbis Catholici partibus nec non in hac provincia immemorialis temporis consuetudine inductum est, ut Clerici pro foro externo de omnibus, quae relinquerent, bonis etiam ad caussas profanas valide testari possent. Exinde tamen in conspectu Dei nihil detrahitur obligationi ex bonorum ecclesiasticorum natura oriundae, quae in testamento condendo non minori profecto religione, quam in actibus inter vivos implenda est; etenim quae ultima voluntate statuimus, apud homines juris effectum non habebunt, priusquam coram judice vivorum et mortuorum steterimus. Meritu tamen vir ecclesiasticus providet, ne post ejus excessum egestate opprimantur, qui sine reprehensione diuturnum ipsi fidelemque famulatum exhibuerint. Itaque si bonis sat valeat, pensionem eis ad vitae dies percipiendam statuat. Cumprimis caveat, ne ancillam haeredem scribat, a quo scandalum difficile abest.

Caput V.

De Clericorum ab intestato defunctorum Haereditatibus.

Clerico, qui proprietatis jus retinuerat, absque testamentu defuncto nequaquam expedit, ut bona, quae consanguinei patrimonialium et quasi patrimonialium, industrialium et parsimonialium nomine peterent, ab iis, quae ecclesiastici juris essent, de casu ad casum discernerentur, quippe majori Ecclesiae praejudicio quam utilitate lites multiplicarentur et odia. Quae cum ita sint, Concilium in Domino congregatum intendit et statuit, ut firmae maneant regulae, juxta quas negotium in provincia Viennensi hucusque tractari consuevit.

Si Clericus, de cujus haereditate agitur, beneficio potitus fuerit, casu, quo illud ad mortis usque tempus non retinuerit, nequaquam excepto, tertia

haereditatis pars competit ecclesiae, cui beneficii ratione inserviendum erat. Si plura simul beneficia habuerit, pro rata redituum, quos ex eis percepit, inter ecclesias respectivas dividatur; si plura successive, ecclesiae, cui ultimo loco deservierit, adscribatur; nisi opulenta sit, quo casu ad alias merito transfertur. Hac eadem proportione retenta tertiam bonorum relictorum partem habeant pauperes locorum, ubi beneficia tenuit, ita tamen, ut ecclesiae opulentioris intuitu nihil eis detrabatur. Tertia demum pars cedat consanguineis, quibus secundum leges Austriacas jus ab intestato succedendi competit. Iisdem, si vere pauperes sint, pars pauperibus debita in tantum assignari potest, in quantum portio ex tertia consanguineorum ipsis obtingens egestati sublevandae non sufficiat.

Quandu Clericus sine testamento defunctus beneficium ecclesiasticum nunquam tenuit, duas bonorum relictorum partes consanguinei, unam pauperes accipiant, quibus consanguinei vere egeni eo, qui superius expositus est, modu substitui possunt.

Pars, quae ex Antistitis sine testamento defuncti haereditate ecclesiae Metropolitanae sive Cathedrali debetur, si opus fuerit, seminario vel majori vel puerorum assignari potest. De utensilibus sacris, quae S. R. E. Cardinales et Episcopi ad Dominum avocati reliquerint, servandae erunt praescriptiones Litterarum Apostolicarum a Sanctissimo Patre Pio IX. die 1. Junii 1847 datarum.

Caput VI.

De Bonorum ecclesiasticorum Administratione.

Quum bona ecclesiastica res Dei sint et peculium pauperum, summa religione ac diligentia eorum administratio geratur oportet; quae etiamsi ecclesiarum rectoribus, nec non beneficiariis eorundemque collegiis concredita fuerit, sacrorum tamen Antistitibus advigilandi jus et obligatio manet. Propterea Concilium praesens in Domino congregatum de bonorum ecclesiasticorum administratione atque custodia, quae sequuntur, constituit.

§. 1.

Ad bona ecclesiastica conservanda necessarium plane est, ut adcuratissima eorum recensio praesto sit. Igitur bonorum omnium ecclesiarum parochialium, etiam monasteriis domibusve religiosis incorporatarum, nec non filialium et beneficiorum saecularium, quaecunque hac in provincia habentur, inventarium, ubi deest, conficiatur, ubi adest, revideatur et emendetur. Duplex ejus exemplum fiat, quorum alterum in curiae archiepiscopalis vel episcopalis tabulario recondatur, alterum apud ecclesiam seu beneficium vel beneficiatorum collegium adservetur. In utroque omnis immutatio, quam beneficium subire contingat, sedulo adnotetur. Praeterea singulis deinceps decenniis inventarium renovetur.

§. 2.

Bona ecclesiarum parochialium seu filialium, nec non fundationum piarum apud ecclesias istas extantium administrabuntur a spirituali earundem rectore in curarum socios adhibitis parochianis duobus vel ad summum tribus. Si ecclesia juri patronatus subsit, patronus ad bonorum ejus procurationem vel ipse vel per delegatum concurrere potest.

§. 3.

Parochiani ad ecclesiae res procurandas assumti (ecclesiae vitrici vel quomodocunque pro locorum consuetudine adpellentur) nunquam non viri pietate ac integritate conspicui sint; in quantum fieri possit, tales praeterea, qui bonis temporalibus non egeant, seligantur. Ab ecclesiae rectore spirituali proponuntur, attentis desideriis, quae parochiani intra justi et aequi limites patefaciunt, ab Episcopo vel ejus delegato nominantur. Ordinarie ad triennium assumantur; eo tamen tempore elapso denuo proponi et nominari possunt. Quando eorum cuidam debitas dotes deesse adpareat, loco moveatur. Vitricos Decanus instituat et praemissa admonitione de obligationum, quas suscipiunt, natura et gravitate sponsionem ab eis exigat, fore, ut ad ecclesiae bona tuendum et conservandum pro virili contribuant.

§. 4.

Delegati, quos patronus constituendos ducit, viri Catholici honestae conversationis sunto.

§. 5.

Concordia inter Sanctam Sedem et Augustissimum Imperatorem stabilita sancitum est, bona ecclesiastica vendi vel notabili onere gravari non posse, nisi tum Sancta Sedes, tum Majestas Sua Caesarea, aut ii, quibus hoc munus demandandum duxerint, consensum tribuerint. Quocirca si necessitas cogat, vel evidens utilitas suadeat, ut ex ecclesiae sive beneficii bonis quidpiam quomodocunque alienetur aut notabile eidem onus imponatur, ecclesiae peculium administrantes sive beneficiarius Episcopum adeant, ut ea disponat seu agat, quae ad licentiam rite obtinendam requiruntur. Bona mobilia alienare, ut ex eorum pretio immobilia comparentur, nisi iniquis id fiat conditionibus, consultum omnino est; nec improbandum, ut bona immobilia, quorum administratio difficilis et minus fructuosa sit, divendantur ad acquirendos alios eosque commodiores fundos. Ceterum nihil intentatum relinquatur, ut beneficii aut ecclesiae cujusdam necessitatibus alio, quam alienationis remedio, succurratur.

§. 6.

Facultas, bona ecclesiastica gravandi onere, quod notabile censendum non est, ab Episcopo petenda venit.

§. 7.

Ecclesiae peculium administrantibus, quin licentiam ab Episcopo obtinuerint, fas non est, ejusdem pecunias elocare, aut elocatas renuntiare, impensas extraordinarias facere, quae summam ab Antistite constitutam superent, vel liti de ecclesiae se juribus immittere.

§. 8.

Quin ad Episcopum recurratur, ecclesiae reditus in ordinarias cultus divini necessitates minoresque fabricae reparationes, nec non in res extraordinarias, quarum sumtus summam constitutam non excedunt, erogare licet, sortem quoque, cujus legitime renuntiatae persolutio in difficultates impingat, vel census

annuos aliasve praestationes ecclesiae debitas judice interpellato vindicare, modo de jure ipso lis non moveatur.

§. 9.

Quodsi patrono quidpiam eorum, quae administratores intra praedictos facultatum suarum terminos gerunt, ecclesiae utilitati obesse videatur, petere potest, ut negotium Episcopo dijudicandum proponatur. Eidem porro liberum est, postulare, ut ecclesiae bona ipso vel delegato ejus praesente revideantur a viro, quem Episcopus designandum censeat.

§. 10.

Rector spiritualis cum ecclesiae vitricis administrationis gestae rationem quotannis conficiat, adhibito quoque patrono vel ejus delegato, qui, si velit, rationarii exemplar suis sibi sumtibus comparare potest.

§. 11.

Si patronus congressibus, qui bona praedicta procurandi ergo habentur, neque ipse, neque per delegatum interesse facile possit, in dioecesi tamen commoretur vel delegatum ibi commorantem habeat, sententia scriptis ab eo significanda requiratur, quoties agitur de sorte legitime renuntiata, vel censibus aliisve praestationibus actione judiciali vindicandis, aut de negotio, ad quod peragendum ecclesiae peculium administrantes absque potestatis superioris licentia et approbatione procedere nequeant. Porro petenti negandum non est, ut rationarium annuum, cui conficiendo commode adesse non possit, ipsi vel delegato in dioecesi commoranti simul cum documentis illustrantibus transmittatur. Debito tamen tempore sententiam suam exponere tenetur: quod si neglexerit, Episcopus decernere potest, ut rationarium ad eum in posterum non mittatur.

§. 12.

Si patrono vi fundationis relate ad bonorum ecclesiae administrationem majora competant jura, quam decreti hujus tenore eidem attribuuntur, nihil obstabit, quin probatione praestita eadem exerceat.

§. 13.

Rationem revidebit Decanus ruralis aut alius vir ab Episcopo deputatus; revisam Antistiti exhibebit, superadditis eis, quae forsan ad ecclesiae bona efficacius conservanda sive utilius procuranda conducere existimet.

§. 14.

Rationis annuae ab Episcopo adprobatae summarium Gubernio Imperiali communicandum et significandum simul est, in quantum ecclesiae peculium aut incrementa ceperit aut imminutum sit.

§. 15.

Pecuniae praeter eas, quae ad sumtibus quotidianis sufficiendum requiruntur, nec non syngraphae, litterae fundationum, rationaria rite approbata, omnia denique documenta ad ecclesiae bona vel jura pertinentia asserventur in arca triplici sera munita; claves autem custodiantur a parocho et ecclesiae vitricis vel duobus senioribus, si tres numero sint; ita ut arca non nisi omnibus in id conspirantibus recludi queat.

§. 16.

Ubi rector sive vitrici ecclesiae in operae, quam ejus peculio administrando impendunt, compensationem hucusque emolumenta quaedam perceperunt, nihil immutandum est.

§. 17.

Administratores regulas, quae munere fungentibus praescriptae sunt, accurate observent. Detrimentum, quod ecclesiae bona eorum culpa ceperint, resarcire tenentur.

§. 18.

Quodsi de administratione bonorum ecclesiae Metropolitanae seu Cathedralis provisum sit statutis auctoritate ecclesiastica comprobatis, ad eorum normam procedendum est. Ceteroquin Episcopus virum dotibus necessariis praeditum administratorem bonorum ecclesiae Metropolitanae seu Cathedralis constituat; qui duos ad minimum sacerdotes assessores habeat, alterum ab Episcopo nominandum, alterum a Capitulo suffragiis absolute majoribus eligendum. Si

autem ecclesia parochialis simul fuerit, parochus accedat vel etiam, quodsi Episcopo visum fuerit, viri ab eodem designandi locum teneat. E parochianis adsciscatur vir Catholicus, probus et sollers sive duo, quando Episcopus id expedire judicet. Ubi ecclesia juri patronatus Imperiali sive ex fundo religionis oriundo subsit, admittatur praeterea vir a Gubernio Caesareo denominandus.

§. 19.

Beneficiarius beneficii bona tam immobilia, quam mobilia juxta canonum praescripta administrare et custodire tenetur. Usus fructuum hac ei lege competit, ut substantiae conservandae debitam curam impendat; si quid ea in re neglexerit, ad damnum beneficio compensandum in conscientia obligatur, et ab Episcopo districte compellendus est. Minores reparationes, quibus providere usufructuario incumbit, non differat, ne majores enascantur. Si beneficium silvas habeat, eae statuantur arborum succidendarum vices, quibus lucrum inter praesentem et futuros beneficii possessores pro rata temporis dividatur; statutae religiose serventur. De elocandis beneficii bonis beneficiarius non aliter quam servatis servandis paciscatur. Quum locationes, quae anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in praejudicium successorum validae intelligantur, conducti mercedem in amplius quam semestris tempus non antecapiat. Sine Episcopi licentia neque sortes beneficio proprias elocet, neque elocatas renuntiet, neque litem de beneficii juribus ineat. Si beneficium juri patronatus subsit, his de negotiis patroni quoque sententia expetatur. Summario rationum ecclesiae Gubernio exhibendo parochus incrementi vel decrementi, quod in beneficio parochiali forsan contigerit, significationem supperaddat.

§. 20.

Si beneficiarius aedificiorum ad beneficium spectantium reparationes negligat vel aliunde beneficii substantiam officio convenienter curare omittat, patrono liberum est, ea de re ad Episcopum referre, quin et petere, ut ipso sive delegato ejus praesente per virum ab Antistite designandum aedificia inspiciantur vel

aliae quaecunque res in beneficii inventarium relatae revideantur.

§. 21.

Episcopus pecunias ecclesiae aut beneficii elocari non patietur, nisi adsint cautiones, quas relate ad pupillorum bona lex civilis praescribit.

§. 22.

Si lite quadam superveniente patronus beneficii vel ecclesiae caussam suis sumtibus agere paratus sit, advocati tamen ab eo seligendi personam Episcopus ratam habeat oportet.

§. 23.

Fundatio pia ecclesiae vel beneficio oblata sine Antistitis dioecesani auctoritate acceptari nequit. Ecclesia peculium administrantes aut beneficiarius procurent, ut litterae fundationis fundatoris ad mentem et secundum Episcopi mandata exarentur. Episcopo confirmandae proponantur. Exemplar authenticum Gubernio Imperiali exhibeatur.

§. 24.

Ecclesia Metropolitana seu Cathedrali vacante Capitulum oeconomum juxta Patrum Tridentinorum decreta constituat, Gubernium nomine fundi religionis, cui fructus intercalares debentur, aut oeconomum a Capitulo electum adprobare aut alium quemdam superaddere poterit. Bona, quae ad mensam episcopalem pertinent, tam mobilia quam immobilia accurate recenseantur; si quae desiderari contingat, illico vindicentur. Oeconomus administrationem secundum canonicas praescriptiones fideliter gerat, ejusque rationem successori canonice instituto reddat.

§. 25.

Vacante parochia quadam aut alio beneficio saeculari, quod ad collegium beneficiatorum communem honorum administrationem habentium non spectat, Episcopus administratorem officii vel alium virum idoneum oeconomum designabit; Gubernium eum fundi religionis nomine approbabit vel alterum ipsi adjunget.

Decanus officii et beneficii vacantis administratore seu administratoribus, ecclesiae vitricis nec non patrono sive ejus delegato adscitis perquirat, an res in beneficii et ecclesiae inventarium relatae rite conservatae extent. Si defectus aliquis deprehendatur, ad eum supplendum necessaria disponat; attamen litem de beneficii seu ecclesiae juribus, antequam Episcopus permiserit, minime ineat. Administrator beneficii ejus bona secundum canones procuret. In administrando ecclesiae peculio parochi locum officii administrator tenebit.

§. 26.

Quum fructus beneficiorum vacantium, in quantum hucusque consuetum fuerit, et imposterum fundo religionis inferendi sint, reditus anni intercalaris eodem, quo hucusque factum est, modo dividantur, rationes autem Gubernio utpote religionis fundum administranti exhibeantur.

§. 27.

Ad beneficium promoto, postquam institutionem canonicam consecutus fuerit, Decanus vel alius vir ab Episcopo delegatus bona beneficii tradet, adhibitis pro beneficii conditione ecclesiae vitricis et patrono vel ejus delegato. In bonorum possessionem introductus scripto confirmet, cuncta, quae inventario contineantur, tradita sibi esse, et sponsionem addat, fore, ut beneficium secundum ecclesiasticas praescriptiones administret et conservet.

Caput VII.

De Fundo religionis et studiorum.

Quum saeculo superiori contingeret, ut magnus monasteriorumn umerus multaque beneficia simplicia supprimerentur, eorum tamen possessiones maxima ex parte necessitatibus ecclesiasticis dicatae sunt, efformato ex iisdem bonorum complexu, quem fundum religionis vocant. Ex reliquis fundus studiorum coaluit, cujus ope juventutis Catholicae institutioni provideretur. Igitur bona, quae ita dictos religionis et studiorum fundos constituunt, ex eorum origine ad Ecclesiae proprietatem spectant: unde Concordia inter Sanctam Sedem et Augustissimum Imperatorem inita stabilitum est, ut a Guberuio Ecclesiae nomine et Episcopis inspectionem eis debitam exercentibus administrarentur. De forma, juxta quam Antistites administrationis bujus negotio inspecturi sint, Sanctitas Sua cum Augustissimo Imperatore conveniet. Praesens tamen Synodus suum esse censet, quae ea de re desideranda videantur, exponere, praesertim quoniam spem habet, fore, ut Episcopis operam conferentibus provideri possit de pecuniis, quibus sacerdotibus in animarum cura desudantibus melius consulatur.

Episcopis communicetur oportet accurata recensio bonorum tam immobilium quam mobilium, ex quibus fundi praedicti constant, adjectis omnibus, quibus gravantur, oneribus. Edoceantur iidem de ratione, juxta quam praedicti fundi ad hoc usque tempus administrati fuerint, ut suam de proventibus augendis sententiam attentis rerum et locorum adjunctis dicere possint.

Modum quod attinet, religionis fundum Ecclesiae necessitatibus impendendi, omnino necessarium esse videtur, ut ad sumtuum, qui requiruntur, descriptionem quotannis conficiendam Episcoporum, quorum interest, delegati adhibeantur; ipsa vero descriptio Episcopis opportuno tempore proponatur, ut rebus mature perpensis mentem suam aperire queant. Impen-

sae, de quibus praevie conventum haud fuerit, Episcopo, cujus dioecesim attinent, inconsulto haud fiant; Antistiti autem non negentur ea, quae impraevisa aliqua necessitas postulaverit.

Expositio redituum, qui ex fundi studiorum bonis percepti fuerint, et institutorum Catholicorum, quorum in usum conversi, Episcopis quotannis communicetur.